This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

NYPL RESEARCH LIBRARIES
3 3433 06661360 9



Fornmanna

GGA

Formmanna

GGM

SCRIPTA HISTORICA ISLANDORUM

DE REBUS GESTIS

VETERUM BOREALIUM,

LATINE REDDITA

ET

APPARATU CRITICO INSTRUCTA,

CURANTE

SOCIETATE REGIA ANTIQUARIORUM SEPTENTRIONALIUM.

VOLUMEN SECUNDUM.

HISTORIÆ OLAVI TRYGGVII FILII

PARS POSTERIOR

USQUE AD FINEM PRŒLII SVÖLDRENSIS.

HAFNIÆ, 1828,

TYPIS HARTVIGI FREDERICI POPP.

LONDINI,

APUD JOHN & ARTHUR ARCH,

No. 61, CORNHILL.

THE NEW YORK
PUBLIC LIBRARY

ASTOR, LENOX AND
TILDEN FOUNDATIONS

HISTORIA

OLAVI TRYGGVII FILII,

EX VETERE SERMONE

LATINE REDDITA

ET

APPARATU CRITICO INSTRUCTA,

CURANTE

SOCIETATE REGIA ANTIQUARIORUM SEPTENTRIONALIUM.

PARS POSTERIOR

USQUE AD FINEM PRŒLII SVÖLDRENSIS.

OPERA ET STUDIO

SVEINBJÖRNIS EGILSSONII,

COLLEGÆ SCHOLÆ BESSASTADENSIS

IN ISLANDIA.

HAFNIÆ,

TYPIS HARTVICI FRIDERICI POPP.

1828.



Historia Olavi Tryggvii filii.

CAP. 151.

De Ottare et Avaldio.

Vergente ætate Hakoni, Adalsteinis alumni, in Ylfia, Halogiæ insula, vir habitavit, nomine Thorvaldus, cui cognomen erat Skiljandus; is uxorem habuit Thorgerdam, Hallfrödi filiam, cujus frater, Galtius, vir potens opibus, Sognii habitavit. Thorvaldo Skiljando duo erant nati: unus Ottar, alter Thorkell Silfrius, nothus. Vir quidam, nomine Ingjaldus, in eadem insula, Ylfia, habitavit; hujus filius Avaldius. Ingjaldus amicus erat Thorvaldi, filiumque ejus Ottarem educandum susceperat; Ottar et Avaldius admodum æquales fuerunt, quos inter brevi jurata coaluit amicitia. Erat vir, nomine Sokkius, pirata insignis, homo facinorosus, qui passim rapinis et infestis armis grassabatur *). Hic æstate quadam in insulam Ylfiam delatus, noctu cum copiis escendit, atque domum Thorvaldi, omnibus, qui quidem domi aderant, somno oppressis, ex improviso aggressus, suos ita alloquitur: heic opima prædæ copia se obfert, quandoquidem

*) is amicus erat Gunnhildæ, regum genitricis, ut multi alii mali homines, add. S. quæ verba inferius leguntur.

vir dives hic habitat; neque vires ad resistendum erunt ullæ, si prudenti utemur consilio. Idcirco ædes igne ferroque oppugnemus, res omnes captivas abducamus, ædes hominesque universos incendio absumamus; pars nostrum domum Ingjaldi adeant, idemque ibi faciant. Quod cum nemo dissuaderet, ignem ædibus admovent. Thorvaldus ad limen progressus, quis incendio præsit, interrogat; cui Sokkius, quis sit, aperit. Tum Thorvaldus: quasnam, inquit, injurias ultum is: nihil enim, mali, quod quidem sciam, tibi attulimus? Sokkius contra: nos piratæ, inquit, non quærimus causas, sicubi facultates hominum atque vitam petimus. Oppugnant piratæ ædes igne ferroque: quindecim viri, inter quos Thorvaldus, incendio absumti, paucis evadentibus: res omnes, quibus quidem usus erat, a piratis abreptæ. Qui a Sokkio ad Ingjaldum missi erant, ignem ædibus injecerunt; ille ad fores progressus exeundi veniam hominibus petit: cujus cum nulla fieret copia, ad adolescentes, Ottarem et Avaldium, conversus, ita eos alloquitur: in promptu est, mihi jam ultima adventare fata: verum optaverim, vos ab incendio liberare, ut longioribus uti fatis vobis liceat; nunc itaque vos per fores occultas, quæ in ædibus sunt, emittam: inde, fumum secuti, in sylvam vos conferte; neque, si majoribus rebus vos fortuna servaverit, hujus injuriæ vindicandæ causa vobis deerit. Illi respondent: voluntas quidem in promtu, spes vero rei perficiendæ, quo res nunc quidem loco sunt, exigua. Producti deinde ab Ingjaldo ad fores occultas, evadunt, insciis piratis, tum ob strepitum flammæque vim, tum quod properæ morti non erant destinati. In contrariam in-

sulæ partem devertentes, non multo post ad colonum quendam perveniunt, petuntque, ut quam citissime ipsos in continentem transmittat. Hic, qui adolescentes cognovit, postulata fecit. In continentem delati, se pauperes adolescentulos esse professi sunt: appulerant autem ad terram, qua navis quædam oneraria, halecibus transportandis a Vagis delata, stationem habebat, in australes regni partes abitura: hic operam suam ministeriis navalibus offerunt, et in societatem itineris adsumuntur. Quæ cum austrum versus tendens in sinum Sognicum devenit, adolescentes se sinum ingredi velle affirmant, ibi cognatos suos esse testantes. Gubernator ait: id vobis dabitur; nam hic non deterior erit conditio vestra, quam illic, ubi vos recepimus. Vos autem strenue nobis operam præstitistis: atque præsagit animus, vos brevi majoris momenti viros fore, quam nunc exspectare par fuerit. Deinde in terram exponuntur. Die in vesperam declinante ad Galtium, Ottaris avunculum, pervenerunt, et in exteriore domo in stipula consederunt. Paterfamilias eos adiens interrogavit, quinam essent. Cui Ottar, quis esset, vera retulit. Tum Galtius: adeo vester adventus haud alienus judicandus est: sedem, quæso, adite! Hic, laute habiti honorificeque, septem octove hiemes commorati, in robustos viros adoleverunt. Eo tempore pugna Fitis gesta est, qua Hakonus, Adalsteinis alumnus, occidit, Gunnhilda filiisque in regnum Norvegiæ succedentibus: apud quos Sokkius pirata, ut alia multa atrocia ingenia, gratia plurimum valebat. Vere quodam Galtius Ottarem Avaldiumque allocutus: Te, inquit, Ottar cognate! coa-

lumno tuo antecellere judico, et in rebus gerendis gnavum fore confido. Is vero rerum status in Norvegia nunc obtinet, ut vos domi meæ tueri desperem; quod ii, qui ob cædem patrum vestrorum gravissimis tenentur criminibus, injuriæ ultionem a vobis exspectabunt: his autem, quibus mecum commorati estis, annis, fundos vestros numerata pecunia vendidi, e re vestra maximè fore putans, si mercaturæ gratia Angliam petieritis, fortunæque res vestras commiseritis. Ottar, se hoc consilio uti velle, ostendit. Ea æstate Angliam petunt, lucrosamque mercaturam exercent; tres quatuorve annos in Angliam commeant, et magnam rem faciunt. Tum Orcadas adierunt, ibique, ut aliis in locis, quo venerunt, apud viros potentes et divites honorem nacti sunt.

Adventus Ottaris et Avaldii in Islandiam.

152. Ottar, Avaldium aliquando adfatus: navem, inquit, mercatoriam, Islandico oceano aptam, emere, eoque profectionem instituere, in animo est; audivi enim, ibi in libertate et otio (pace) habitari; honorique etiam ducunt viri præstantiores, eo habitatum concedere. Prius tamen Norvegiam adeundam, occasionemque Sokkii piratæ opprimendi captandam censeo, neque prius inde discedendum, quam patribus nostris aliquantùm parentaverimus. Probat consilium Avaldius. Bona deinde nave emta, Islandicis commeatibus idonea, orientem versus in Norvegiam tendunt, sinumque Sognicum intrant. Qui cum Galtium convenerunt, totum suum institutum et consilium ei aperiunt. Quibus ille: ea res commodum accidit, nam Sokkius pirata et Sotius, frater ipsius, haud procul hinc absunt, una tantum

nave vecti: hi noctu in terram egressi, in cœnaculo quodam dormiunt. Vobis autem comitem dabo, Steinem nomine, a quo sibi, utpote ipsis notissimo, vix bene cavebunt piratæ. Tum Ottar ac sui navem repetiverunt eamque in anchoris tenuerunt, exorto inter hæc vento secundo. Post tres una, Ottar, Avaldius et Steinn, exigua cymba terram petunt, et in recessu quodam, prope domum, in qua hac nocte dormiebat Sokkius ac sui, appellunt, atque in terram egrediuntur. Qui cum villam appropinquarent, Steinn piratas conventum ivit, et quod visum est negotii simulans, colloquium Sokkii petiit, atque unacum his vespere poculis indulsit. Cum vero, multa jam nocte, cubitum irent, Steinn Ottari signum dedit. Piratæ, qui septem omnino erant, in cœnaculum veniunt, vestes exuere incipiunt. Splendebat domus, accenso lumine; foris densissimæ tenebræ, nocte illuni. Ottar et Avaldius cito gressu advolant, ita ut infimos scalarum gradus tenerent, cum qui postremi ibant piratarum, in summum pervenissent; intro in cœnaculum se proripiunt. Ottar Sokkio gladium infra loricam per alvum adegit, quo vulnere illico exanimatus est. Avaldius Sotium, lorica se prono corpore exuentem, ense feriit et utrasque nates abscidit; deinde domo excurrunt, ex primis scalis saltu in terram se demittunt, tenebris se committentes; mox cymbam petiverunt, qua vecti navem assecuti sunt. Secundus ventus vehementius spirabat; ideo illucescente die, vela tollunt atque in altum provehuntur, famam consecuti ultionis gnaviter exactæ. Gunnhilda, Regum-genitrix, ut quæ gesta erant audivit, fatur: Male accidit, quod homines, qui amicos nostros interfecerunt et contumelia affecerunt, oculis non conspexi,

ignara, qui hoc facinus patraverint, ut adeo hanc rem impune pati necesse habeam. Ottar ac socii, ferentibus usi ventis, navem in ostium Blandæ, in parte insulæ boreali, appulerunt, territoriis adjacentibus jam tum occupatis. Ottar fundum Grimstungæ in Vatnsdalo emit a viro, cui nomen erat Einari, nave pro pretio soluta, ibique villicationem instituit. Avaldius primam hiemem cum Ottare fuit; is cognomine appellatus est Skegg (barba). Proximo autem vere fundum emit Knjuki in Vatnsdalo, uxoremque duxit Hildam, Eyvindi Sörkveris filiam, ex his nata Kolfinna, femina formosa admodumque superba. Vir quidam nomine Olavus, Haukagili habitavit, opibus et amicis valens, cujus uxor erat Thorhalla, filia Ævaris Prisci ex Langadalo; filia Olavi et Thorhallæ appellata est Asdisa, quam ambiebat Ottar Grimstungensis et multa cum dote in matrimonium accepit, ex qua filium suscepit, nomine Hallfrödum, cui nomen avi materni Ottaris inditum est. Alter filius Ottaris nominatus est Galtius. Valgerda nomen erat filiæ Ottaris & Asdisæ, omnium quæ tum in Vatnsdalo erant feminarum formosissima. Olavus Haukagilensis Hallfrödum, suum ex filia nepotem, educavit lauteque habuit. Hallfrödus, prima jam ætate, magna fuit statura, robustus, virili membrorum structura, superciliis nigricantibus, naso turpi, vultu cætera concinno, crinibus badiis; comæ nativus decor. Idem, cum adolevisset, in vita varius; in prima jam pueritia versus, eosque plerumque probrosus, fundere; parum amicis valens; viginti ferme annos natus Kolfinnam, Avaldii Barbæ filiam, amare cœpit. Avaldius, cum nollet filiam ab Hallfrödo illicito amore pellici, ei in matrimonium dare voluit, sed Hallfrödus

nuptias recusavit. Tunc temporis Mar, filius Jörundi Halsis, Mastadis habitavit, is amicus fuit Avaldii Barbæ. Hunc convenienS Avaldius, quam sibi injuriam faciat Hallfrödus, queritur. Hic Mar: consilium præ manibus est: curabo hominem, qui Kolfinnam filiam tuam ambiat; vir nominatur Gris, Sæmingi filius, habitans in Langadalo præ Geitaskardo, amicus meus, locuples atque amicis valens; idem mercaturam cum successu fecit, quin Constantinopolin usque commeavit, magnumque ibidem honorem ab imperatore adeptus est. His dictis Avaldius domum redit; sed Mar nuntium misit Grisi, amico suo, qui et Mastados venit. Qui cum colloquium iniissent, Mar infit: in rem tuam consulam, ut Kolfinnam, filiam Avaldii Barbæ ambias; quæ conditio una est in optimis, cum femina sit pulcra, neque desit res. Qua re probata, Gris unacum Mare ad Avaldium, septimus ipse, equitat. Hos Avaldius comiter excipit; intrant omnes cum patrefamilias ædes, hastis foris constitutis, quarum una, auro obducta, Grisis fuit. Ordiuntur colloqui; atque Mar, nomine Grisis, de connubio agere cœpit; facilem se præbet Avaldius, dicens se in ea re Maris consiliis usurum: „et si feminis idem videbitur atque mihi, non feret repulsam." Huic rei is finis fuit, ut Kolfinna Grisi desponsaretur. Inter hæc, dum intus sedent super his rebus, advenit Hallfrödus ad domum, uno comitatus homine. Qui cum viderent hastas foris stantes, Hallfrödus comiti: Adsunt, credo, inquit, aliqui ex longinquo: tu nostros equos observa, ego vero gynæceum Kolfinnæ adibo. Quam cum convenisset, ille quærit, quid hominum advenisset: Neque tamen, ut credo, quærere opus est, inquit; Mar pro-

fecto adest, te ambiturus; verum haud credo rem facile profecturam, uti nunc sunt res. Cui Kolfinna: fac provideant, penes quos ea res est. Eo consilio utar, ait ille, quanquam procus tuus tibi jam jam magis placeat, quam ego. Ab his exeunt; Hallfrödus Kolfinnam gremio imponit juxta parietem gynæcei. Commodum ab ædibus exitur. Gris oculis erat cœcutientibus; is fatur: quinam isti sunt homines, qui tam submisse colloquuntur. Avaldius: Hallfrödus Ottaris filius et filia mea Kolfinna. Gris: an isthoc moris est? Sæpe quidem ita accidit, ait Avaldius, tuum vero nunc est, hoc incommodi avertere, quandoquidem sponsa tua est. Gris ad hæc: ita judico, inquit, hoc factum esse calumniæ causa. Tum Hallfrödus: id tu scito, Gris! me tibi hostem fore infensissimum, si hanc conditionem tibi cogitas. Mar refert: nihili tua verba hac de re facio, ea enim hac in re nihili æstimabuntur; quippe jus habet, credo, Avaldius filiæ suæ. Tum carmen fudit Hallfrödus.

Ira ethnici, vere ignavi
depressoris multorum vasculorum
lactariorum, sic fere meis
oculis videtur esse terribilis,
ac si haud exiguus, vetulus,
canis villaticus, maxime
advenis confluentibus, obmurmuret;
ante conclave femineum fundo versus*).

neqve curo, Mar sacrificule! qvid adjicias verborum. Mar contra: tu sævas dabis pœnas, si in me verba probrosa jacis. Hallfrö-

*) Ordo: *Reiði allheiðins, sannargs a) sökkvis margra troga* [1]) *verðr* [2]) *svá b) nokku* [3]) *ægilig* [4]) *fyrir augum mèr, sem úlfitill, gamall búrhundr c) stúri úti d) fyrir búri* [5]), *alls*

dus refert: meorum dictorum arbiter sum, credo. Tum unacum comite abeqvitat. Mar, rem hoc loco non relinquendam dicens, hortatur ut Hallfrödum eqvites persequantur; ita faciunt; his Avaldius duos addidit comites, ita ut novem omnino essent. Hallfrödus domum habuit Haukagili; Olavus, nutricius ejus, de profectione Maris et Grisis suspicatus, misso confestim ad Ottarem nuntio, rem omnem, ut gesta erat, exponit, fore ostendens, ut Hallfrödo opus auxilio sit. Quo nuntio permotus Ottar, e vestigio omnes, quorum copia fuit, viros armavit. Qui cum Haukagilum pervenit, Olavus se jam armis induerat, ipseque ac domestici sui omnes equos conscenderant.

De Hallfrödo Ottaris filio.

153. Nunc de Hallfrödo dicendum. Is cum unico comite prævehebatur, novem viris insequentibus. Cum vero alteri alteros conspexissent, Hallfrödus infit: en, qui nobis instant! nulli vero patiamur, ut hi diutius nos insequantur. Tum ad colliculum quendam

---

mest við för gesta, ek stæri brag. Extat in Sk. 2, p. 84. Abest in B. C. S.

[2]) *torga.* Sk. [2]) *veðr* Sk. [3]) *nökkvi* id. Sk. 132. [4]) sic, Sk. 132; A habet *ægiligs*, quod minus aptum puto. [5]) *brúði*, F. Sk. 132, coram femina, nempe Kolfinna; sed repugnat metrum.

a) Grisem putat; *sökkvir troga*, proprie accipio, eum, qui demergit alveolos lactarios in aquam, ut purgentur, i. e. virum mollem et effeminatum, cui opera lactaria curæ sunt. *b*) *nokku*, sec. vulgarem pronuntiationem, id. q. *nokkut*. *c*) *stúra*, nunc fere, anxio esse animo, tristem vultum præferre; verbum norvag: *sture* notat, demisso capite desidere. *d*) si voces *fyrir búri* huc refers, *búr* de cella cibaria intelligendum est.

aderant, ubi, svadente Hallfrödo, se ad defensionem parant. Gris cum suis supperveniens eos adoritur, illis pulcre et fortiter se defendentibus. Verum tamen evenit quod vulgo dicitur, multitudini resisti non posse; is enim certamini finis fuit, ut ambo capti vinculis constringerentur. Gris et socii vixdum equos conscenderant, cum ille: homines, inquit, equis advehuntur, quantum video, non pauciores triginta, quare vereor ut victoria diu fruamur. Jamque admissis equis effugiunt, locum defensioni idoneum quærentes, trajecto amne Vatnsdalensi, cursum sistunt, qua crepido fluminis calle intersecatur. Ottar amnem advehitur, triginta viris comitatus; quem salutatum Gris quærit, quid sibi velit tantus hominum numerus? Cui Ottar: ubi Hallfrödus, cognatus meus? Gris: colligatus est, non vero necatus; et quidem juxta colliculum jacet, ubi congressi sumus. Ottar: contumeliose in eum egistis, etsi quædam causa subesset: an vis tu, Gris! pati, ut hæc causa mei solius arbitrio permittatur? Cui Gris: ego vero, inquit, volo, cum vir sis spectatæ fidei. Et jam pacificationem stipulati digrediuntur. Ottar cum suis reversus, Hallfrödum ac comitem reperit et vinculis exemit. Ottar fatur: haud ista, cognate! profectio honori fuit. Affirmat Hallfrödus, et quærit an Grisem convenisset; quod affirmans Ottar, quo pacto in gratiam rediissent, exponit. Hallfrödus: nihil moror, inquit, quo pacto hanc rem transigas, dummodo Gris Kolfinna non potiatur. Id tui non erit arbitrii, ait Ottar: ille mulierem habeto, cum arbitrium meæ fidei commiserit: tu vero, cognate! peregre ito, ibi majorem honorem et fortunam quæsiturus. Hallfrödus ad hæc:

haud facile visu, qui mihi fidi sint, si patres fallunt; nunc quoque rem sic exituram credo, ut neuter nostrum potiores sit habiturus: id enim primum eveniet, ubi Grisem convenero, ut eum ad certamen circense provocem [1]). His dictis pater et filius digrediuntur; Ottar Grimstungam, Hallfrödus cum Olavo Haukagilum equitat. Paucis post diebus Olavus Ottari genero suo per nuntium præcipit, ut nuptias inter Grisem et Kolfinnam dissuat; alioquin, ob ingenium Hallfrödi, rem in deterius abituram. Idem nuntius Olavo et Hallfrödo refert, eum in nulla re iis adversari velle, addens, Ottarem valde ægrotare, et petere, ut Hallfrödus ad se quam primum veniat, velle enim, priusquam decedat, res suas ordinare. Hallfrödus, ut langvorem patris audiit, eum conventum proficiscitur; sed cum Grimstungam adesset, Ottar, nullo æger morbo, confestim eum comprehendi et in in vincula conjici jussit. Heic Ottar: nunc duarum, inquit, Hallfröde! altera utra conditio eligenda, aut hic in vinculis sedere, aut rem omnem tua ex parte meo arbitrio permittere. Hallfrödus respondit: Næ tu haud ambiguum facis, te mihi esse inimicissimum; atqui jam necesse est, potestatem exerceas, potius quam heic in vinculis et custodia detinear. Mox vincula Hallfrödo exemta. Kolfinna, Grisi matrimonio juncta, rei familiaris curam cum eo suscepit, maritum amore non prosecuta. Olavus de Haukagilo Hallfrödum, nepotem suum eundemque alumnum, peregre ut abiret hortatus est, viatici quantum honesto sumtui ad exteros ituro sufficeret, pollicitus. Ottar pater ejus hoc idem

[1]) *De certamine circensi vide Kormaki vitam cap.* 1.

urgebat; hic quoque pacificationis inter eum et Grisem conditiones pronuntiavit, ut Gris argenti dimidium centum [1]) penderet, Hallfrödus peregre proficisceretur. Hic pecuniam accipere noluit, patremque et Olavum ita allocutus est: video vestri in me amoris documenta; quare vero simillimum duco, hoc hactenus in vestra potestate esse, cum tam cupide elaboretis, ut peregre proficiscar; præsagit autem mihi animus, diutinas inter me et Grisem simultates fore. Eadem æstate Hallfrödus, ad navem in portu Hvitaensi profectus, peregre abiit.

Res Ottarem et Vatnsdalenses intercedentes.

154. Eo tempore Thorsteinn Ingimundi filius Hofi in Vatnsdalo habitavit, vir magnæ auctoritatis, prudens, benignus, amicisque valens. Filios habuit Ingolfum et Gudbrandum. Ingolfus omnium in iis tractibus erat formosissimus; de quo sic poëta quidam:

Omnes voluere virgines
cum Ingolfo jungere nuptias,
quæ quidem adultæ fuerunt;
misella sibi visa est quæque tenerior.
Sic et ego cupio, ait vetula,
cum Ingolfo jungere nuptias,
dum mihi duo hærebunt
dentes in superiore palato.

Ingolfus Grimstungam itavit, sermonesque cum Valgerda Ottaris filia, sorore Hallfrödi, habuit. Qua de re cum Ottar Ingolfum admoneret, et rogaret, ut domum frequentare abstineret, ille petulantius respondit, dicens: Vatnsdalum ab habitatoribus ita esse compara-

[1]) circiter viginti denarios.

tum, ut profectiones suas pro lubitu instituere queat: adeoque res in meliorem locum non est deducta. Itaque Ottar, Thorsteinem conveniens, rogat, ut filium admoneat, ne animos hominum irritando tentet. Thorsteinn æquo animo respondit, et facturum se promisit; et paullo post Ingolfum compellans, rogat, ut a sermonibus cum Valgerda, Ottaris coloni filia, miscendis abstineat. Ingolfus respondit: tuo jussu, pater! lubens faciam. Sic primo quidem Grimstungam frequentare desiit, sed tum elegos de Valgerda facere instituit. Qua re Ottar magnopere indignatus, Thorsteinem altera vice conveniens, hac ratione magna se injuria peti queritur: nunc volo, ait, mihi permittas, ut diem Ingolfo dicam; non enim pati queo, rem intactam quiescere; et fama, credo, accepistis, me non inpune tulisse hominum contumelias et acerbitates. Thorsteinn respondit: non equidem prohibeo, quo minus Ingolfo filio meo diem dicas, cum haud iniqua proferas, sed ob ingenium cognatorum nostrorum id minus e re tua esse confido. Jökull Ingimundi filius, frater Thorsteinis, huic colloquio interfuit; is, ira incitatus, Ottari: proh rem inauditam, inquit, te in hoc tractu nobis cognatis crimina intendere velle, quod tibi brevi male vertet. Thorsteinn dein se arbitrum obtulit, qui causam eorum in comitiis Hunavatnensibus transigeret: quod Ottar, precibus et consilio amicorum motus, acceptavit. Tum Thorsteinn: sententiam ergo, ut ut ea vos acquiescetis, statim pronuntiabo: argenti dimidium centum Ottari pro elegis adjudico; sed Ottar fundos suos vendito et ab hoc tractu migrato. Ottar hac in re summam sibi injuriam fieri testatus est, sed Thorsteinn se, pro u-

triusque partis ingenio, non minus ipsi consuluisse demonstravit. Tum Ottar lares austrum versus trans montana transtulit et Ottarstadis in Nordrardalo sedem fixit. Anni superioris æstate Hallfrödus, filius ejus, e portu Hvitaensi solvens peregre profectus fuerat, qui commoda navigatione usus ad Norvegiam appulit, satrapa Hakono Sigurdi filio summam rerum tum tenente. Quem cum Hallfrödus convenisset et salutavisset, satrapa eum comiter excipiens, quis esset, interrogat. Ille, nomine edito, se Islandum esse dixit; ea vero adventus mei causa est, ut carminis, quod de te composui, recitandi veniam impetrem. Cui satrapa: virum præ te fers, coram potentioribus libere loquentem; quare carmini tuo faciles aures præbebo. Hallfrödus carmen, quod intercalare fuit, digno ore recitavit. Satrapa, actis gratiis, bonas vestes magnamque securim, manubrio argenteis lamellis ornato, ei dono dedit et secum hospitium per hiemem obtulit, quod Hallfrödus accepit. Sequente æstate in Islandiam navigans, ad australem insulæ partem navem appulit; tum eo pater ejus, proxime elapso vere, a tractu boreali migraverat, quocum Hallfrödus per hiemem commoratus est. Deinceps aliquot æstates Hallfrödus in navigationibus consumsit, nunquam vero ad borealem insulæ partem venit; jam vir prædives factus, ipseque navis possessor. Hic æstate quadam, ab Islandia delatus, ad Agdanesum navem tenuit; cum vero homines, quibus cum colloqueretur, nactus esset, audivit, factam in Norvegia regiminis mutationem, mortuo Hakono satrapa, cui rex Olavus Tryggvii filius in regnum successisset. Præterea, regem Olavum omnibus hominibus christianam religionem præ-

dicare; quae omnia Hallfrödo gravioris momenti visa sunt. Inter omnes nautas convenit, ut votis nuncupatis deos invocarent, ut secundos ventos ex Norvegia aliquo [1]) ad terras ethnicas nanciscerentur. Votum ita conceptum est, ut pecuniam et cerevisiae tres amphoras Freyo darent, si in Sveciam vento secundo ferrentur, sed Thori aut Othini, si Islandiam redire contingeret. Sed ventus adversum tenuit; quare sinum tandem intrare coacti sunt. Cum vero portum ingrederentur, quod multae longae naves ibi in anchoris stabant, ipsam stationem non tenuerunt. Insequenti nocte, cum loco aperto et aestuoso in anchoris starent, violenta tempestate a pelago exorta, furium et anchorarum grave periculum fecerunt; multam noctis partem tenebrae nondum occuparunt; coelo vero albescente, ex classiariis quidam infit: homines isti in nave mercatoria magno versantur periculo, quippe qui navem teneant, qua maxime tempestati obnoxia est, agite, opem illis quam strenuissime feramus. Mox triginta viri, unam navem ingressi, ad eos remigabant, quorum unus sedens clavum regebat, prasino indutus amiculo, statura grandis. Qui cum ad navem mercatoriam pervenirent, is, qui clavum regebat, mercatores allocutus: vos, inquit, haud bene estis constituti; ingruit enim tempestas, heic vero mare brevibus & scopulis periculosum; nos adsumus, in tutum vos collocaturi. Huic Hallfrödus: qui vocaris? Ille contra: nunc Ancorae-potens vocor. Dum haec colloquebantur, unum anchorale crepuit et disruptum est. Amiculatus ille

[1]) *Nökkur*, pro adverbio usurpatum, vide Gloss. Njalae. vel hujus Hist. cap. 204. init.

extemplo se e navi ejecit, et funem possum sidentem manu assecutus in navem retraxit. Cum funis creparet, hi versus Hallfrödo exciderunt:

Retinacula nostra moveamus;
turbo marinus [1]) incessit navem,
funis anchoræ [2]) nimium intendi occipit;
ubi est strenuus ille vir anchorarius [3])?

Vir amiculatus, qui tum in navem suam evaserat, subjecit:

Sed [4]) præstiti trahendis funibus
virum, indutum toga viridi,
qui indices anchoræ [5]) molitur;
hic est strenuus ille vir anchorarius [6]).

---

[1]) *særoka*] Sk. *særok*, id. [2]) *svörðr*, propr. pellis rosmarini, it. funes ex pelle ejus confecti, de quibus Speculum regale pag. 179–80: "*húð hans (rostúngsins) er bæði þykk ok góð til reipa, ok rista menn þar sterkar ólar af, svá at vel draga* 60 *manna eitt reip eða fleiri, ok geta þó ekki slitit.*" [3]) *akkeris frakki*, nomen fictum, quod sibi tribuit rex Olavus. De orgine hujus nominis hæc mihi succurrunt: *frakki*, m. g. vir strenuus, ab adject. *frakkr*; in lexico B. Haldoris *frakki* quoque occurrit de principe viro. Itaque *akkeris frakki* est strenuus vir anchoræ i. e. in anchoris trahendis, in re anchoraria, vel princeps anchoræ, cui cura anchoræ est demandata. Quod si hæc, quæ mihi quidem simplicissima videtur, ratio displicebit, alia obvia est: nempe non omni ratione caret, vocem *frakki*, m. esse ligni genus nescio quod, forte fraxinum, cui respondeat vox *frakka* f. g. hasta, "*frökkur dyr*," Rigsmál; quemadmodum *lind* et *askr* de telis usurpantur. Hinc commode explicari potest appellatio ensis *hræfrakki*. Eodem modo vero *akkèris frakki* vir anchorarius dicitur, ac *sverðdraugar* milites, *ægis-jódraugar*, ἐπίβατοι. Hanc stropham om. B. [4]) *enn*] quid. cod. leg. *einn*, unum. [5]) *hnakkmiða* in sing. 132.; *hnakkmiði* derivo a verbo *miða*, collimare, certum locum definire, et *hnakki*, caput anchoræ, propr. is quis destinat certum anchoræ locum, index anchoræ, dan. *Boje*. Ceterum occurrit hæc vox in leg. isl. *Jónsbók*, in tit. *Farmannabálki*, et in Skalda, ed. Hólm. p. 220, ubi advar. lect. rejecta est, intextu autem in duas voces (*hnot miði*) distorta. [6]) Hanc str. om. B., sed habet Sk. p. 87.

si scire cupis, inquit. Tum retinacula eorum sublata; hi vero navem mercatoriam remulco tractam in bonam stationem deduxerunt, mercatoribus, qui fuisset amiculatus ille, nescientibus; quibus paulo post innotuit, regem Olavum fuisse; tum enim rex ab Halogia pervenerat, quo, ut ante demonstratum est, proficisci cogitaverat; jamque naves suas ad Nidarosiam constituit, et partim hic, partim Hladis cum cohortibus aulicis commoratus est. Hallfrödus quoque Nidarosiam cursum tenuit eoque pervenit.

De Rögnvaldo et Raudo.

155. Rex Olavus Rögnvaldum ab Ærvikia et Raudum secum in custodia servavit, sæpeque in colloquium venit Rögnvaldi, quod sermoni ejus multa sapienter dicta inesse deprehendit. Die quodam, inter colloquendum, rex interrogavit, ecquid sciret, quis auctor esset incendii, quo Thorolfus Skjalgus (Strabo) de Jadaro periisset? Rögnvaldus respondit: qui noverim? diu quidem una fui cum Thorolfo in Jadaro, atque inde discedens salvum hilaremque eum reliqui; post autem non multo incendii, quo periit, fama ipsiusque mors mihi allata est; verum quotiescunque ea res tangitur, in mentem mihi venit Raudus de Raudseya. Rex haud plura ab eo hac de re expiscari potuit. Deinde Raudum conveniens, quæsivit, ecquid sciret, quis Thorolfum Skjalgum (Strabonem) incendio necasset? Raudus retulit: nescio, sed Rögnvaldus de Ærvikia semper mihi in mentem venit, quotiescunque ejus rei mentio fit. Rex porro: an jam baptizari vis? Cui Raudus: id non prius fiet, quam quid Rögnvaldus statuat,

novero; neque tamen eo secius ille mihi displicet. Tum rex Rögnvaldum et Raudum una convenire fecit, atque insuper de eadem re ipsos interrogavit. Rögnvaldus respondit: idem, rex, hac de re dicere habeo, quod in principio, cum a me quæsivisti. Tunc rex: appareat, vestrum utrumque fidem servare; quoniam vero dicere non vultis, ipse vobis nonnihil dicam. Exinde a principio orsus, cum res Skjalgum inter atque Thorolfum intercedentes ad finem usque enarravisset: sic mihi tradidit, ait rex, Sigrida, uxor tua, Rögnvalde! cujus pietatis fructum vos nunc et deinceps laturos speramus; neque ego hanc rem tam graviter puniam, quam multi exspectabunt et causa subest, si veram religionem amplectimini, nostramque amicitiam perfecte colitis. Hic Rögnvaldus: magna, inquit, o rex! tua fortuna atque benevolentia est, cujus æternos fructus nos, et quicunque tibi obsecuti fuerint, percipiemus. Tunque Rögnvaldus crimen fassus est, singulaque facta a rege recensita; ipse deinde ac Raudus religione, quam rex prædicavit, usuros se eamque observaturos polliciti sunt. Baptizati deinde et a rege in amicitiam recepti. Mox mutuæ cognationis necessitudine examinata, Rögnvaldus se patrem Raudi fassus est. Utrique, venia et consilio regis, ad res suas reversi, religionem suam constanter tenuerunt, et amicitiam cum rege Olavo, quamdiu Norvegiæ præfuit, coluerunt, cognatis vero Thorolfi pecunias pro incendio solvisse, memoriæ non proditum est.

De Kjartane Olavi filio.

156. Olavus Pavo, filius Höskuldi Dalakolli filii, uxorem habuit Thorgerdam, Egilis

Skallagrimi filii natam, ut supra memoratum est: quorum filius natu maximus Kjartan nominatus est, nomen a Myrkjartane, Hibernorum rege, Olavi avunculo, sortitus. Olavus Pavo Hjardarholti in Laxardalo habitavit, vir potens, genere nobilis, amicitiis valentissimus atque benevolentissimus. Kjartan Olavi filius domi patris sui Hjardarholti adolevit; is eo tempore hominum, qui in Islandia nati fuerant, omni corporis habitu formosissimus: facies magna et concinna, albicante colore; oculi pulcherrimi; magna coma et bombycis instar nitida, capillis circumcirca undatim defluentibus; erat pulcris sane oculis [1]), magna statura, et robustus, quemadmodum Egill, avunculus ejus, aut Thorolfus Skallagrimi filius fuerant. Kjartan habitu corporis omnium hominum fuit maxime conspicuus, ad opera fabrilia dexterrimus, armorum undique peritia omnium facile princeps, et omnibus artibus cæteros Islandos superabat. Idem hilaris, affabilis, liberalis, adeoque gratiosus, ut nemo esset, quin eum diligeret, qui quidem nomen ejus nosset. Hunc Olavus omnium liberorum maxime amavit. Ibidem Hjardarholti educatus est Bollius Thorleiki filius, Olavi ex fratre nepos; hic et Kjartan æquales fere fuerunt et fratres devoti. Bollius erat statura grandi, perquam robustus, vultu spectabilis, recto naso, facie oblongiore, crassis labiis, neque tamen ore deformi, oculis suspensis [2]) (tenui-

[1]) *hann var allvel eygðr*] haec sententia omnino πλεονάζει, cum praecesserit, *eygðr manna bezt*; abest quoque a Laxdæla, unde hic locus desumtus est. [2]) *grunneygðr*] ita *C. grimmeygðr*, trucibus oculis, *A.* sine dubio errore librarii.

ore vagina inclusis), ideoque nonnihil patulis, pulcro pupularum situ, crinibus ex badio albicantibus; eidem structura corporis militaris, in cultu vitaque splendor summus: omnibus naturæ artisque dotibus proxime ad Kjartanem accedebat; tantusque inter eos amor intercedebat, ut Kjartan nusquam pedem proferret, quin eum Bollius comitaretur.

De Laugensibus.

157. Eo tempore Osvifus Helgii filius Laugis in Sælingsdalo habitavit, vir sapientia insignis et prædives, is paternum genus ad Ketilem Flatnefum (Silonem), Björnis Bunæ filium ut supra dictum est, retulit, mater vero illius Nidbjörga vocata est, cujus mater erat Kadlina, filia Gaunguhrolfi, filii Rögnvaldi, Mœriarum satrapæ. Osvifus uxorem habuit Thordisam, filiam Thorolfi Parvi ex Medalfellsstranda, ex qua quinque filios, quos supra recensuimus, procreavit, quorum natu maximus, Ospakus, amicitiis maxime florebat, Thorolfus vero natu minimus erat. Gudruna nomen erat filiæ Osvifi, quæ venustate et prudentia omnes feminas, quæ quidem tum in Islandia florebant, antecelluit; eadem in cultu elegantissima, adeo ut mundus aliarum feminarum, præ illius cultu, pro meris puerilibus lenociniis haberetur; omnium feminarum erat callidissima, et disertissima, plerasque liberalitate superabat, magnanimitate aliarum Islandarum facile princeps; ea, utpote liberorum Osvifi natu maxima, familiam consilio et auctoritate regebat. Prædium Laugarum situm est a boreali parte amnis Sælingsdalensis, e regione Tungæ. Gudruna Osvifi filia, quindecim annos nata, viro nupsit, cui nomen erat Thorvaldo, diviti homi-

ni, Garpsdalum [1]) in Kroksfjördo habitanti; is filius erat Haldoris pontificis. Cum eo Gudruna, quod eum minus amaret, divortium fecit, Thordoque nupsit, filio Glumi Geirii filii; is a matre, quæ Glumo superviveret, denominatus est, et Thordus Ingunnæ filius appellatus; hic in Breidafjördo submersus periit. Horum filius erat Thordus Catus, quem Snorrius antistes nutrivit et Helgafelli educavit; ejus filius erat Stufus poëta. Tum Gudruna, Laugis commorata, aliquamdiu in viduitate permansit. Olavus Höskuldi filius Hjardarholti, summa cum gloria rem familiarem administravit, domi secum habens omnes filios, item Bollium Thorleiki filium, iis cognatum. Kjartan sæpiuscule ad thermas Sælingsdalenses se contulit; quo cum veniret, semper usu venit, ut Gudruna ibi præsto esset; cum qua sermones identidem serere, voluptati Kjartani fuit, nam et prudens et diserta erat; et vulgo rumor erat, inter omnes in Islandia adolescentes, Gudrunæ et Kjartani nullos nisi ipsos pares connubio inveniri. Inter Osvifum et Olavum Pavonem intima viguit amicitia, non eo minus, quod adolescentes amoris affectu invicem conciliabantur. Verum tamen Olavus Kjartanem aliqvando allocutus: nescio, inquit, qui fiat, ut, quotiescunque Laugas adis cum Gudruna collocuturus, animus mihi refugiat; atqui hoc non ideo est, quod Gudrunam aliarum omnium principem non judicem; imo sola est feminarum, quæ, me judice, te digna sit; tamen animo præsagio (quod absit ut divinem), fore, ut nos cognati et Laugenses non constanti

[1]) sic C. Garsdalum A., in qua voce similitudo soni librarium decepit.

utamur fortuna in commerciis et amicitia nostra. Kjartan respondit: nihil equidem adversus voluntatem tuam, pater! faciam, quantum in me est; spero autem, rem melius, quam tibi præsagit animus, exiturum. Kjartan, ut facere instituerat, ad Laugas commeare perseveravit, assiduo comite Bollio.

De Viddalensibus.

158. Vir fuit, nomine Asgeir, cognomine Ædikollus, habitans Asgeirsæ in Viddalo; [is filius erat Audunis Skökulis (temonis), qui primus sui generis in Islandiam venit, et Viddalum occupavit. Audun Skökull erat filius Björnis; Björn filius erat Hundasteinaris, satrapæ Angliæ, et Olavæ, Ragnaris Lodbrokis (hirsutibracteæ) filiæ. Alter filius Audunis Skökulis erat Thorgrimus Hœrukollus (cani capitis), pater Asmundi, patris Gretteris. Filia Audunis Skökulis erat Thora, mater Halli, patris Ulfhildæ, matris Astæ, quam duxit rex Haraldus Grœnlandicus; eorum filius rex Olavus Sanctus. Asgeir Audunis filius uxorem habuit Jörunam, Ingimundi Prisci filiam; eorum filius nomine fuit Audun, pater Asgeiris, patris Audunis, patris Egilis, qui Ulfeidam duxit, filiam Eyolfi Claudi, Gudmundi Potentis filii. Filius Egilis et Ulfeidæ erat Eyolfus, qui in comitiis occisus est; is pater erat Ormi, qui confessionarius [1]) erat Thorlaki episcopi. Alter filius Asgeiris Ædikolli erat Thorvaldus, pater Dallæ, quam duxerat Isleifus episcopus; ex his natus Gissur episcopus. Tertius filius Asgeiris erat Kalfus, qui hoc tempore commeatibus mercatoriis vacavit, et

1) Vide Hist. Eccl. Finni Joh. Tom. 1. pag. 294.

mercator gnavissimus habebatur. Thurida erat filia Asgeiris, nupta Thorkeli Kuggio, filio Thordi Gelleris; quorum filius Thorsteinn. Altera Asgeiris filia erat Hrefna, feminarum, quæ in finibus borealibus fuerunt, formosissima gratiaque apprime florens.

De peregrinatione Kjartanis.

159. Dicitur Kjartan Olavi filius primo vere profectionem austrum versus in Borgarfjördum instituisse, comite Bollio, fratre jurato; de quorum itinere nulla mentio, donec Borgam pervenerunt, ubi tum Thorsteinn, Egilis filius, avunculus Kjartanis, habitavit. Qui Kjartanem cognatum suum benigne excepit, summamque comitatem ejus adventu ostendit, sibi gratissimum fore testans, si diu secum maneret; quare Kjartan Borgæ aliquantisper commoratus est. Hieme proxime elapsa, navis in ostio Gufaënsi subducta steterat, quæ Kalfo Asgeiris filio, supra memorato, fuit, qui eadem hieme hospitio Thorsteinis Borgæ usus fuerat. Kjartan secreto Thorsteini aperuit, eam maxime fuisse sui adventus causam, ut dimidiam navem a Kalfo emeret, addens, se insequenti æstate peregre proficisci velle, atque a Thorsteine quæsivit, quali ingenio Kalfus ipsi videretur. Thorsteinn infit: certo credo, Kalfum bonum esse virum, et liberalis ingenii; et sane venia danda est tuæ, cognate! cupiditati alienos mores cognoscendi; tuamque peregrinationem aliquo modo memorabilem fore opinor; nosmet autem et cognati tui in te multum periclitari nobis videmur. Deinde Kjartan, dimidia nave emta, cum Kalfo societatem jungit, ex qua, elapsis decem æstatis hebdomadibus, præstò ad navem esse teneba-

tur. His actis occidentem versus in Dalos tetendit, bonaque munera a Thorsteine cognato suo accepit. Domum autem delatus cum patri consilii mutationem aperuisset, Olavus ait, festinantius hanc rem, cognate! decrevisti; nihil tamen retractabo. Paulo post Kjartan Laugas equo vectus, Gudrunæ indicavit, se peregre abiturum. Illa eum consilium nimis properasse dixit, plura verba de hac re jactans, quibus intelligeret Kjartan, ipsi hoc non placere. Cui Kjartan: si tibi hoc displicet, aliam rem, quæ tibi placeat, faciam. Ea contra: hoc præsta, nam id mox palam faciam. Quod ut faceret, cum ille postulasset, Gudruna: tecum, inquit, hac æstate peregre proficisci volo, qua in re mihi de tam præcipiti consilio satisfeceris, nullo enim Islandiæ desiderio teneor. Ei Kjartan: hoc nullo pacto licet: nam fratres tui consiliis sunt immaturi, pater vero senex; quare, si patria discedes, omni tutela destituentur. Verum age, præstolare me tres hiemes, ita ut ne cui nubas. Qua de re cum nullam fidem interpositurum se Gudruna ostenderet, ita digrediuntur, diversa sibi sentientes. Kjartan domum Hjardarholtum equitat, et abitum parat. Olavus Pavo hac æstate ad comitia equitavit; Kjartan patrem ab occidente Dalis comitatus est, in Nordrardalo vero digressis, ipse, novem viris comitatus, inter quos Bollius cognatus ejus, navem petivit. Kalfus Asgeiris filius Kjartanem comiter excepit. Qui cum parati essent, navem solvunt, et commodis ventis usi Norvegiæ partem borealem ad Thrandheimum tenent, atque Agdanesum subeunt. Hic resciscunt, Hakonum Satrapam decessisse, Olavum vero Tryggvii filium regno redditum, cui universus populus se submisisset regemque eum salu-

tavisset; et hoc insuper, regem Olavum novam religionem prædicare, vario civium rumore exceptam. Hinc Kjartan navem ad Nidarosiam appulit. Multi tum in Norvegia magni nominis Islandi fuerunt. Stabant ad pontes tres naves mercatoriæ, quæ Islandis fuerunt: una Brando liberali, filio Vermundi, Thorgrimi filii; altera erat fratrum duorum, filiorum Breidaæ - Skeggii de Fljotshlida, quorum alter Bjarnius, alter Thorhallus nominabantur; tertia erat Hallfredo poëtæ, Ottaris filio, qui, cum Kjartan eo adesset, nuper advenerat, ambo enim eadem æstate ab Islandia navigarunt. Omnes Islandi Kjartanem bene exceperunt, Brandus vero, utpote ipsi ante perbene notus, ut qui optime. Omnes, quos modo recensuimus, Islandi, antequam advenisset Kjartan, de religione, quam rex Olavus prædicavit, deneganda conjuraverant; nunc vero denuo consultarunt, et ab eo (Kjartane) quæsiverunt, quid decernendum censeret. Ille haud expressis verbis sententiam suam significavit, sed probaturum se ostendit, quod universis consultissimum videretur.

Natandi exercitia in amne Nida instituta.

160. Tum quoque rex Olavus ibi adfuit, magnum secum habens virorum numerum; magnis nempe operibus faciundis intentus erat, nam emporium Nidarosiæ constituendum, ædesque regias a Skipakroko (navali brachio) extruendas curabat; ibidem quoque hujus anni autumno sacram ædem instituit. Rex domuum areas in amnis ripa definivit [1]), easque

[1]) *lèt margar tóptir til garða*] sic C. S. *l. m. t. t. gerða* (forte, multas areas circumsepire fecit) A. Sed locum corruptum puto, legendumque *"lèt marka tóptir til garða,"* quod in versione expressi; sic supra cap. 99 *"markaði grundvöll til kirkju."*

deinde, quibus visum est, ædes sibi facere cupientibus, donavit. Die quodam autumni, læto aëre, ex oppido homines exibant, in fluvio Nida natataturi. Quod cum Islandi viderent, Kjartan hortatus est, ut accederent, natandi artes oppidanorum visuri. Ita facientes, unum hominem animadverterunt, cæteris, qui aderant, omnibus arte natandi peritiorem. Tum Kjartan Halfredo Ottaris filio: num aggredi vis, atque cum hoc homine natando certare? cui Hallfredus: minime gentium, inquit, is enim est, cui in nulla re parem me ponam. Tum Kjartan Bollium cognatum affatus, quærit, an cum oppidano experiri velit, quid natando valeat. Ille contra: istoc meæ facultatis non esse credo. Cui Kjartan: non hercle video, inquit, qua in re nunc se præbeat vestrum contentionis studium; ego vero aggrediar, si neuter vestrum audet. Quibus dictis ad amnem, e regione natantium, progreditur. Kjartan coccinea tunica indutus erat; vestes raptim exuit, in flumen se dejicit, et viro, qui natandi erat peritissimus, nando adlapsus, raptum undis submergit diuque sub aquis detinet, deinde missum facit emergere. Cum vero paulula quiete se recreassent, oppidanus Kjartanem prehensum in undas deturbat; deinde sub aqua urinantur multo diutius, quam Kjartani commodum videretur; tum altera vice tandem emergunt, inter hæc nihil collocuti; jamque tertium flumen subeunt, et multo diutissime sub aquis morantur, et jam Kjartan dubitare cœpit, quorsum hic ludus evaderet, nunquam enim in locum æque angustum devenisse sibi visus est; tandem eo res venit, ut hic vir eum missum faciat, quo facto uterque terræ adnatant et vestes induere incipiunt. Kjartani oppidanus et sta-

tura grandis et robore conspicuus visus est, a quo, quis esset, interrogatus, nomen edit. Oppidanus infit: tu quidem nandi bene peritus es, Islande! num tu ab cæteris artibus pariter instructus es, atque ab ista? Kjartan respondet: nullus honor mihi nunc ex hac; atque sic, credo, de cæteris erit, quamvis in mea quidem patria in artibus habitæ fuerint. Oppidanus ait: artium quam famam consequaris, aliquantum refert, cum quo tibi res fuerit; aut quidni rogitas, qui vocer? Kjartan se nomen ejus non curare dixit. Tum Oppidanus: Næ tu et virum præ te fers artis naturæque bonis conspicuum, et quoque te nimis superbum geris; non tamen eo minus nomen meum, et quocum nando certaveris, aperiam tibi: sum Olavus Trygvii filius, qui nunc rex hic vocor. Kjartan nihil respondens, sola tunica indutus abiit. Rex, qui se vestibus jam induerat, Kjartanem revocat, et, ne tam propere abeat, jubet; ille gradum, tardius tamen, retulit. Rex pallium humeris detrahit, ajens: non sine amiculo ad tuos redibis, qui vir adeo honestus tantæque fortunæ videaris; quare hoc tibi pallium donabo, velim quoque, ut quod rei nos hodie intercessit, in joco & ludicro ponas, quemadmodum ipse faciam, nam spero paucos fore, qui tibi laudem natandi detrahant, etsi in ea arte me parem invenias. Kjartan, gratiis regi de munere actis, ad suos redit, palliumque monstrat, rem utique pretiosissimam. Islandi indignabundi fremere, quod pallium accepisset, eum se regis potestati subjecisse, atque ejus amicitiæ se venditasse æstimantes. Cum autumnaret, acrior cœli tempestas suborta est, geluet frigoribus incidentibus; tum ethnici jactare, non mirum, tempestatem sævire, deos

enim iratos esse regi in primis, et denique omnibus, quotquot novam religionem ab eo prædicatam amplexi fuissent. Paulo post mitiore tempestate succedente, homines multi, plerique ethnici, a proximis tractibus ad oppidum pervenere. Islandi domum in oppido ad hiemandum conduxerant; quorum factioni Kjartan maxime præfuit.

Colloquium inter regem Olavum et Kjartanem.

161. Die quodam rex, conventu Eyris habito, populo, qui eo confluxerat, religionem prædicavit, longa et miti oratione usus; postremo acrius invectus, necem aliasve duras conditiones minatus est iis, qui postulatis suis obsequi noluissent; qua re permoti, multi ex populo baptismum subierunt, atque sic dimissa est concio. Eadem vespera rex ad diversorium Islandorum misit, qui sermonem eorum captarent. Islandi poculis assidebant et hilares erant; magna intus convicia exaudire erat, de rebus in concione ea die gestis, deque postulatis a rege editis confabulantium. Hic Kjartan Bollio: ecquid tibi arridet, religionem, quam rex prædicat, amplecti? Bollius respondit: minime aveo; nam hæc religio infirma et valde inanis mihi videtur. Cui Kjartan: hac de re non eadem mihi tecum sententia est; mihi enim voluntas regis successum habere videtur, ita ut quovis conventu homines ejus postulatis obsequantur; vobisne visus est nullas minas hodie jactare adversus eos, qui jussa ejus subire detrectavissent? Bollius contra: rex sane nobis visus est sine ambagibus significare, graves pœnas daturos, qui ei de amplectenda religione obsequi noluissent. Nolo equidem, ait Kjartan, ab ullo homine cogi, dum

armis ferendis par ero; id quoque forti viro indignum duco, innocentem occidi, animalis more ratione expertis; satius duxerim, si mihi certo moriendum intelligerem, aliquid laudis ergo patrare, cujus diu memoria superesset. Bollius: quid nunc, inquit, cognate! faciendum censes? Kjartan: id statim tibi dicam: si rex hanc nobis religionem, quemadmodum aliis hominibus, obtrudere vult, duæ adsunt conditiones, oppido iniquæ: altera, ut læti postulatis ejus obsequamur, omnem cogendi necessitatem avertentes; altera, si rex coërcitionem nobis inferre certus est, ut eum in ædibus concrememus. Hic Bollius: haud isthoc pusilli animi judico; verum, si quid video, ea res non succedet, regem enim secunda magnaque usurum fortuna auguror; accedit, quod firmis noctu interdiuque dispositis præsidiis sibi cavet. Kjartan ad hæc: ita evenire plurimis video, quod desit audacia, etsi strenui viri sint. Hæc vero potius animi vestri tentandi gratia dixi, quam ut vos serio instigare velim. Bollius: difficile sane, inquit, est perspicere utri ignaviam opus foret exprobare. Tum multi subjicere, hunc sermonem oppido esse supervacuum. Speculatores ad regem redeunt, eique omnem eorum sermonem referunt. Postridie mane rumor it, conventum a rege actum iri, advocatis omnibus Islandis. Constituto vero conventu, rex surgens verba fecit, et omnibus, qui sibi amici esse vellent et religionem amplecti, pro adventu gratias egit; tum ad Islandos oratione versa, interrogat, an in verum deum credere et baptismum suscipere velint. Cum vero non promte assentirentur, rex: quis, inquit, vestrum Islandorum consilium iniit mei in ædibus concremandi. Tum

Kjartan: cogitas, credo, domine! eum fateri non ausurum; sed eccum, qui dixit. Rex ait: est ut te videam, neque exigui spiritus; tibi vero non dabit fortuna, ut me opprimas. Sed vulgo æstimabunt, te satis in te admisisse, ut ne plures reges concrematurum te mineris, qui te meliora docere velint. Cum vero crimen ingenue fassus sis, neque certum sit, mentem dictis respondisse, capite non plecteris. Etenim parvi est, minas æqualis sui perferre, ad id, quod Dominus noster Jesus Christus, rex omnium regum, innocens ab suis inimicis passus est; potest quoque fieri, quod et futurum spero, ut eo constantius sanctæ religioni adhæreas, quo magis invitus eam professus fueris aliisque pertinacius ei resistis; item opinor (quod quoque opto), fore complures decades Islandorum, qui fidem amplectantur, quo die volens baptizari te siveris; speroque, si in Islandiam redieritis, agnatos et amicos vestros tuis monitis aures præbituros, tot enim nunc homines ex ea terra huc convenere. Præsagit quoque animus, te, Kjartan, meliore imbutum religione e Norvegia navigaturum, quam quando huc appulisti. Nunc vos omnes securi et incolumes abite ex hoc conventu, quoquo volueritis. Nolo vos hac vice ad christianam religionem amplectendam vi cogere, nam vivus deus, cœlorum rex, spontaneum et voluntarium cultum postulat; nemini vero fas est invito ad ejus gloriam pervenire. Oratio regis acclamantium favore, præsertim christianorum, excepta est. Islandi vero Kjartanem, quid ipsi videretur, respondere jusserunt. Tum Kjartan: magnas tibi, domine, nos omnes Islandi gratias agimus, quod bonam pacem nobis concedis; sic enim nos facillime per-

suadebis, ut tibi obediamus, si nobiscum moderate et clementer agas, et gravia crimina nobis ignoscas, qui in tuam potestatem ita venerimus, ut de rebus nostris pro lubitu facere queas. Jam non adeo stultus sum, ut lingvæ temeritatem meæ non agnoscam; quippe Islandi cognati nostri diu se in dictis et factis pertinaces præbuerunt; vetus quoque dictum nobis est, cerevisiam esse alium hominem, id quod experientia probat; homo enim sæpe inter vina præcipiti lingva effutit, quæ, cum ad sanitatem redierit, nullo modo efficere volet; res vero inter me et te, domine, ita cadent, quemadmodum dicunt, semper sapientiorem cedere. Quod autem ad religionis mutationem attinet, dicent fortasse Norvegi quidam homines, nos Islandos eum morem a majoribus nostris accepisse, ut potius blandis alloquiis quam minis moveamur, et ego quidem heic in Norvegia ita religionem amplectar, ut proxima hieme, cum in Islandiam rediero, parvi Thorem faciam. Tum rex subridens: probe, Kjartan! inquit, tam ex dictis tuis, quam vultu perspicio, te magis propriis viribus naturæque bonis, quam Thori aut Othini fidere. Sic dimissa concione, cum rex domum venisset, fuere, qui regem hortarentur, ut Kjartanem et Islandos ad religionem christianam amplectendam cogeret, minus caute agere dicentes, qui tot ethnicos homines, qui in dictis non abstinuerint, quominus ei insidiarentur, juxta se habitare pateretur. His rex, vultu irato: istò vero, inquit, consilio non sequar; multos enim, qui se christianos nominant, non melius moratos autumo, quam Kjartanem ejusque socios; tales utique homines digni sunt, quibus commoditas exhibeatur; Kjartanem quippe

ejusque ingenium ita novi, ut non amplius verear, ne mihi insidias paret. Jam autumnus exit. Rex certior fit Thrandos ineunte hieme ingentia sacrificia instaurare, deosque magnopere invocare, ne religionem a rege Olavo prædicatam introduci paterentur.

Rex Olavus religionem christianam Thrandis prædicat.

Cap. 162. Nova hieme rex Olavus, missa per totum Thrandheimum tessera, comitia octo provinciarum Frostæ indixit. Coloni vero, verso in sagittam belli comitiorum symbolo, universos liberos et servos per totum Thrandheimum evocarunt, et cum rex in comitiis adesset, aderat multitudo plebis, panoplia armata. Constitutis comitiis, rex religionem colonis prædicavit, sed cum brevi verba fecisset, coloni conclamantes eum tacere jusserunt: "quod ni facis, inquientes, hic statim in comitiis te aggressi aut interficiemus aut regno expellemus; quam conditionem Hakono regi, Adalsteinis alumno, cum idem a nobis postularet, fecimus; qui cum obsequentem se nobis præberet, fœdus inter nos pacti sumus, idque utrique sincera fide servavimus. Jam vero nos te non pluris facimus, quam illum, quare ea tibi optima fuerit ratio, ut optimi illius principis exemplum sequaris." Rex Olavus, cum furorem colonorum animadverteret, intelligens tantas esse adversariorum copias, ut resistere non posset, orationem ad reconciliandos colonorum animos deflexit, dicens: Equidem bellum cum colonis gerere nolo, memor, a quibus initiis vos, Thrandi! vestram in me benevolentiam auspicati sitis, cum me, ignotum vobis, regem creavistis et ad principatum hujus regni evex-

istis. Egó vero adeo iniquus esse nolo, ut tantas res malo rependam; tum vero ita facerem, si nunc bellum cum vobis serere vellem, et utrinque hominum internecione jactura esset irreparabilis. Nunc itaque id, quod præstat, consilii capiam, ut, fœdere, quod inter nos initio fuit sancitum, bene servato, prospera vitæ gerendæ ratio reciproco auxilio promoveatur. Illuc, quo sacrificium maximum celebratis, profecturus, vestros mores et ritus observabo; quo facto nos omnes unâ de religione, quam tenere velimus, deliberemus, atque de ea re unanimes consentiamus. His mitibus regis Olavi alloquiis, animi colonorum mitescebant, colloquio inter eos amice et ad reconciliationem commode instituto, decretumque est, ut sacrificium media hieme Mœriæ fieret, quo pro more solito omnes potentes coloni et optimates ex Thrandheimo convenirent, ipseque rex Olavus adesset. Skeggius nomen erat potenti colono, qui Jarnskeggius sive Skeggius Yrjensis dictus est, habitans Upphaugi in Yrjis. Is primus omnium his in comitiis contra regem locutus est, auctorque erat colonis, ut christianismo resisteretur; idem unus in summis Thrandorum optimatibus erat. Comitiis eo, quo dictum est, modo finitis, coloni ad sua reverterunt, Olavo rege cum suis Nidarosiam petente ibique considente.

Kjartan Olavi filius baptizatus.

Cap. 163. Hic rex Olavus superiore autumno ædes regias exstruendas, eoque res omnes ad hiemandum necessarias comportandas curaverat; ibi quoque ædem sacram Clementis excitaverat, quæ ædes circa festum Jolense ab-

soluta est, in qua rex et episcopus rem divinam feriis Jolensibus administrari constituerunt. Pridie festi Jolensis Kjartan suos hortatus est, ut noctu surgentes ædem sacram tam prope accederent, ut rationem, qua homines christiani sacras formulas et cultum deo suo præstarent, viderent & exaudirent. Complures assensi sunt, rem magnæ voluptatis fore dictitantes; noctu Kjartan et Bollius templum adeunt, comitante Hallfredo Ottaris filio, multisque aliis Islandis. Hic sonitum campanarum dulcemque cantum audiverunt, svavemque odorem thuris animadverterunt. Islandi non prius domos suas reverterunt, quam sequenti die post missam antemeridianam. Quos inter magna orta est disceptatio de more rituque christianorum hominum, aliis alia hac de re sentientibus. Tandem Kjartan, quid de ratione christianorum judicaret, interrogatus: mirum quantum, inquit, mihi eorum ritus placent, eoque plus, quo mihi innotescunt magis, et mihi quidem semper rex specie magna promittere visus est, hodie autem vultus ejus multo atque antea augustissimus apparuit, quapropter eos melius facere judico, qui ei morem gerant et libenter officium deferant; et, ut verum dicam, inde res nostras et fortunam pendere arbitror, ut, quem prædicat, deo fidem habeamus. Nunc me nihil abstinet, quo minus statim regem accedam et baptizari postulem, nisi id solum, quod regem ad cœnam ivisse puto, et quod regi et christianis doctoribus (sacris ministris) hac die, quam primarium sui dei festum appellant, negotium facessere nolo; etenim credere par est, multi esse labosis, id officium mihi sociisque omnibus præstare, diemque, quo universi baptizemur, oc-

cupatum iri. Nullo vero modo hæc res, ut confiat, regi Olavo cordi magis esse, quam mihi, potest; neque constantis animi est, rem quamcunque sine modo & temperantia concupiscere. Quomodo, quæso, Bolli cognate! tibi hæc ratio placet? Bollius, re probata, quid ambo statuerent, Kjartanis judicio reliquit. Rex, ut antea, hoc die subornaverat, qui sermonem Islandorum captarent; ipsique hæc omnia, antequam exiisset dies, relata sunt.

Kjartan & Bollius regis ministerio se addicunt.

Cap. 164. Secunda feria Jolensi rex, cum vestibus se induisset, misso nuntio, Kjartanem ad se vocavit; qui aliquot viris comitatus adfuit. Salutantem rex comiter excepit, et, cum pauca collocuti essent, jussit, ut sacro fonte lustrari se sineret. Cui Kjartan: jam id non renuam, domine, si tuam vicissim amicitiam adeptus ero. Rex hoc se velle ostendit, totam suam amicitiam in eum conferre. Mihi vero, inquit, quid tu sociique heri collocuti sitis, plenissime relatum est; tuque, Kjartan, proverbium, quod nobis christianis est, verum esse comprobasti: festos dies optimi esse ominis. Hoc pacto inter regem et Kjartanem confirmato, Kjartan et Bollius omnesque eorum convectores baptizati sunt; rex Olavus Kjartanem et Bollium convivio Jolensi adhibuit iisque se præbuit amicissimum. Plerique ajunt, Kjartanem et Bollium in munera aulica adsumtos esse, quo die albas deposuissent.

Hallfredus poeta baptizatus.

Cap. 165. Regi Olavo die quodam per

vias ambulanti, viri quidam obviam iverunt, qvorum qui primus ibat, regem salutavit, et qværenti nomen, se Hallfrödum vocari dixit. Rex: tune poeta ille es? Ille: versus, inquit, facere possum. Rex: tu in verum deum credere, priscæ superstitioni malæque religioni renunciare volueris; etenim decet te, qui speciem præ te feras viri gravis et liberalis, diabolo non amplius addictum esse. Hallfrödus respondet: belle (commode) tu quidem, rex! verba facis; verum haud gratis patiar me baptizari. Rex: quid postulas? Hallfrödus: ut tu, rex! ipse mihi officium lustricum præstes; a nullo enim alio id accipere volo. Rex ad id descensurum se ostendit. Tum Hallfrödus omnesque ejus convectores baptizati, Olavo rege Hallfrödum sub aqua lustrali tenente. Cujus rei mentionem facit Hallfrödus in carmine quodam laudatorio, quod de Olavo rege fecit:

Eum nactus sum patrem
spiritualem, fateor, qui unus erat
in summis hominum
sub cœlo septentrionali *).

*) Ordo: *ek hlaut þann vorðinn guðföður, (ek sanna þat), er var einna* 1) *manna æztr norðr undir Norðra* 2) *niðbyrði.* Abest in B., extat in Sk. 2, 98.

1) *ýta* Sk. o: *þann ýta*, eum inter homines. *einna*, gen. pl. *af einn*, unus, sæpissime cum superlativo, sed interdum etiam cum comparativo et positivo construitur, de quo vide gloss. Eddæ. Mea sententia eo vergit, ut putem, *einn*, unus, in tali nexu significare, unius generis, ejusdem generis, et subaudiendum esse substantivum aliquod contextui aptum, v. c. *hluta*, *manna*, *dýra* &c. Sic apud Snorronem in Hist. Olavi Sancti cap. 86, *fátt er svá einna luta, at örvænt sè at hittit annat slíkt.* Ibid. c. 101: *Amundi var hinn vitrasti maðr, ok einna manna mest virðr í eyunum.* Spec. reg. p. 22: *þarftu þèr eingan rètt einna meir kunnan at*

Rex Hallfrödum baptizatum avunculis suis, Karlshöfudi et Josteini, tradidit, ut eum *Credo* et *Pater noster* docerent. Tum et Brandus liberalis et fratres, filii Breidaæ-Skeggii, aliique omnes Islandi, qui in oppido erant, religionem christianam amplexi sunt. Festo vero Jolensi vergente, rex, missis in Strindam, Gaulardalum et Orkardalum nuntiis, optimates aliosque magnos colonos ad se invitavit, qui omnes, cum invitati ad regem pervenissent, ab eo summa comitate excepti, et splendido convivio adhibiti sunt; quibus merum tanto studio tamque ampliter appositum est, ut prima vespera coloni, qui nuper advenerant, bene poti essent. Insequenti nocte omnes placido somno corpora curabant. Mane rex, postquam vestes induerat, missam sibi cani fecit; qua peracta concionem tuba convocavit, ipseque eo cum suis se contulit. Convocata vero concione constitutaque, rex Olavus surgens, hunc in modum verba fecit: Nos Frostæ comitia habuimus, ubi colonos ad baptismum suscipiendum invitavi; hi vero contra, ut ad sacrificia cum iis reverterem, postularunt; ita inter nos convenit, ut Mœriæ convenientes magnum ibi sacrificium instauraremus. Notum vero est omnibus hominibus, me multis contumeliis deos affecisse, eorum potestati detraxisse, fractis eorum simulacris, fanis et sacellis concrematis, omnimodo eorum cultum exstirpasse. Quamobrem, ad eos reconciliandos, magno piaculo

---

gera enn Bjarkeyarrètt, ubi ex mea opinione subaudiendum est *rètta*, qu. d. nullum jus mercatorium. [2]) *norðan* F. S. Sk. *niðbyrði Norðra* pro *byrði norðra niðja*, onus filiorum Nordrii, i. e. cœlum septentrionale, Skalda §. 23.

opus esse intelligo, ut meum officium acceptare, et a me sævas iras avertere, meque in imperio regiaque dignitate tueri velint. Quod si igitur ad sacrificia revertendum et cum diis in gratiam redeundum sit, sedet animo, maximum, quod homines solent, instaurare sacrificium; cui non servi aut malefici destinabuntur, sed nobilissimi viri et potentes coloni sacrificandi et immolandi deligentur; ex quibus nominatim appello Ormum Lyrgjam a Medalhusis, Styrkarem a Gimsis, Karem a Grytingo, Asbjörnem Thorbergi filium ab Örneso, Ormum a Lyxa, Haldorem ab Skerdingsstedja, qui heic omnes adsunt. Deinde alii sex ex Thrandis interioribus eligentur, summi quique viri et æstumatissimi; qui omnes bonæ annonæ pacisque ergo immolabuntur. Qvoniam vero urgens necessitas postulat, ut infensos deorum animos iramque, quam multiplicibus delictis nostris et inimica agendi ratione in nos diu exasperavimus et concitavimus, aliquatenus, si non hac vice admodum multum, mitigemus; deinde, altera parte, quoniam vobis curæ esse par est, ut ab iis vestri officii præmia reportetis, nempe ut eorum deliciis et consortio, quod tam diu omni studio expetivistis, adsociemini: nunc e vestigio in vos, qui hostiæ diis addicti estis, impetus fiet, vosque quam citissime interficiemini atque ad beatitudinem, quam vobis pro perpetuo vestro devotoque officio præstabunt, delegabimini. Neque opus est, ut ad hæc mea verba multos colores pallescatis; nam si dii vestri, quemadmodum dicitis, boni et potentes sunt, æternam vobis beatitatem mercedis loco præstabunt, præsertim si eorum causa, præter totius vitæ exantlatos labores, necem etiam patiemini. Quod

si vero, ut mihi videtur, vultus vestri potius contristantur, neque animi spe deorum consortii, uti par fuerit, eriguntur, de eorum omnipotentia dubitare videmini. Sin vero, quæ vos docebo, sanis consiliis utemini, quod persvasum habeo, vos oro obsecroque, ut nunquam diabolis credatis, qui nulla præmia suis cultoribus præstant, nisi quæ ipsi habent, puta æternam flammam infernalium cruciatuum; ad deum potius vos convertatis, qui tam potens est, tam mitis, tamque benignus, ut cuique vero suo cultori æternam beatitudinem regnumque perpetuum cum se ipso in cœlesti gloria donet, transacta hac, quam in hoc misero mundo agimus, paupere vita. Quod regnum deus omnipotens non minus pauperrimo cuique, quam regi potenti, donat, si eum vera fide et bonis factis colat; tam iis, qui cum per omnem ætatem delicta in eum commisissent, extrema senecta ad ejus misericordiam perfecte confugiant, quam iis, qui inde a pueris eum coluerunt. Regia oratio id momenti habuit, ut omnes, qui eo convenerant, coloni fidem vero deo profiterentur, regisque pacem exposcerent; baptizati deinde juramentum regi præstiterunt, se veram religionem observaturos, cultu sacrificali deposito. Quos omnes rex secum habuit, donec filios aut fratres aut alios necessarios obsides tradiderunt.

Religio christiana Thrandis Mœriæ prædicata.

Cap. 166. Post festum Jolense rex Olavus cum copiis interiora Thrandheimi ingressus est, quem tum Kjartan, Bollius, Hallfrödus Ottaris filius, multique Islandi comitabantur; rex magnis cultuque insignibus copiis stipatus

erat. Cum vere Mœriam pervenit, jam ibi præsto aderant omnes Thrandorum principes, qui tum maxime christianismo adversabantur; quibus se omnes magni coloni adjunxerant, qui sacrificiis hoc in loco celebrandis invigilare prius consueverant. Huc cum magna hominum multitudo confluxisset, rex, prout in comitiis Frostensibus convenerat, concionem advocavit, quam utraque factio panoplia armata frequentavit. Primo strepitus vocesque clamantium; quæ cum posuissent [1]) silentiumque factum esset, rex Olavus, ut ante, colonos ad religionem christianam amplectendam hortatus est. Jarnskeggius hic, ut ante, colonorum nomine ad postulata regis respondebat, inquiens: eadem nobis colonis, quæ prius, sententia stat, ut nolimus, rex! te leges in nobis violare; ea omnium nostrum voluntas est, ut tu, rex! deos colas, quemadmodum ante te fecerunt alii reges, aliique Thrandorum principes, Sigurdus, satrapa Hladensis, et Hakonus satrapa, qui proximus ætate maximam hujus regni partem tenebat, vir excellens tam ob prudentiam, quam strenuitatem, quamvis regio carebat nomine; cujus imperium diu fuit gratiosum, neque is ideo regno exutus est, quod ipse aut pater ejus eo injuriæ processerit, ut non cuique liceret, quem vellet, deum colere. Solus Hakonus Adalsteinis alumnus hæc eadem postulare occepit, quare Thrandi adeo exacerbati sunt, ut rex, vitam sibi minus tutam fore intelligens, si in eo perseveraret, consiliis Sigurdi satrapæ aliorumque amicorum motus, multitudini cedendum putaret; quare

[1]) *sjötladisi*], *setnaði*, eodem sensu F. C. propr. subsidere, quæ vox occurrit Finnb. rob. hist. c. 34.

tibi nefas fuerit, secus facere quam superiore autumno monuimus; nam de religione mentem non mutavimus.

Thrandi ab rege Olavo ad christianismum adducti.

Cap. 167. Coloni, magna acclamatione orationem Skeggii comprobarunt, dicentes, placere sibi, quæ protulisset. Tum rex: secundum ea, quæ in comitiis Frostensibus acta sunt, templum intrabo, atque ritus vestros sacrificiorumque apparatum observabo. Placuit colonis, et utrique templum adeunt. Rex cum paucis suorum, et colonorum nonnulli intrant, inermes omnes, rex manu gestans baculum securi armatum [1]), auro ornatum. Venientibus in templum haud abfuit copia simulacrorum; quorum Thor, summa religione cultus, in medio sedebat, magna statura, totusque auro et argento ornatus. Rex, sublato baculo, Thorem tanto ictu feriit, ut a pulvinari excussus diffringeretur; tum regii, qui intrarant, accurrentes, omnes deos a pulvinaribus deturbarunt. Qui dum intus essent, Jarnskeggius ante fores templi a regiis interficitur. Rex autem ad suos egressus, omnem populum considere jussit, quo facto stetit oculos circumferens, et ita fari incepit: huc multa hominum multitudo confluxit, et bene ageretur, si quisque vestrum colonorum, quantam præ se ferat fortitudinem, tantum sibi aliisque bonis

[1]) Vox in textu, *reſði*, quid proprie significet, mihi quidem incertum est; occurrit Hkr. ed. Havn. Tom. 3. pag. 202, ubi vertitur, baculus securi armatus; *reſðismunnr*, de acie securis, occurrit Sturl. 3, 181. Quod in hist. Laxdal. cap. 101 vocatur *reſði*, id *bryntröll* nominatur in vita Vallnaljoti, cap. 2.

consiliis prospiceret. Ut vero hoc conventu frequens adest hominum multitudo, ita multo frequentior comitiis Frostensibus coiit. Tum vobis, uti nunc, novos ritus novamque religionem proposui, ut nempe diabolo obsequium renunciaretis, omni ejus ministerio cultuque simulacrorum deposito, vero autem deo, creatori omnium rerum, fidem haberetis, eumque puro corde coleretis. Vixdum fari orsus eram, cum vos, excitato tumultu et clamoribus, quendam vestræ factionis subjecistis, qui diaboli mandata in me peroraret. Cujus conventus is exitus fuit, ut locum coeundi Mœriæ condiceremus. Hic eandem rem, meique domini mandata, in omnium nostrum salutem et misericordiam, peregi, si forte dicto audientes esse velletis; vos autem et vester orator jam multo audaciores et in contradicendo petulantiores, quam antea, facti, me, ut ad deorum cultum redirem, hortati, ut prius, estis, exemplo Hakoni Adalsteinis alumni usi, non posse me, quin ejus exemplum sequerer. Erat sane rex Hakonus vir eximiæ pulcritudinis, statura grandis, robore valens, plerosque omnibus artibus antecellens, quique toto corporis habitu patrem, regem Haraldum, maxime referret; præterea jure paterni generis et harum omnium rerum titulo dignus, qui rex Norvegiæ esset. Nihil vero horum laudi ejus tribuitis, et id quidem recte, nam in ejus arbitrio non posita sunt, sed a deo omnipotente tributa et constituta, qui etiam ei notitiam sancti sui nominis dedit, eumque insuper excelsum principem regni a patre relicti constituit, et pro lubitu bene maleve agendi liberum arbitrium, ut cæteris mortalibus, ei concessit. Qua re eum, qui hæc concessit, remunerabit? Vos coloni exem-

plum ex Hakono repetivistis, qui hæc eadem, quæ nos nunc proferimus et persequimur, postulare orsus est. Quomodo, quæso, ille dux equitibus prospiciat, qui animum, ne quid veri perspiciat, occæcat, et sua sponte a malis impostoribus longe a recta via seductus, in hostium manus traditur, qui eum in profundam æternæ mortis fossam dejiciunt? quomodo is rex vocari potest, qui servo abjectissimo et malevolentissimo se imperiumque regendum tradit? Id Hakono laudi ducitis, quod servorum suorum minis deterritus veram religionem deseruit, creatorem suum ludibrio habuit, se vero ipsum ignominia notavit, qui deos colere aggressus sit. Puerile et humile fuit, hoc misellum regnum, præ æterna felicitate nihili habendum, tanti æstimare, ut pro eo comparando deum negaret et ministerium desereret sancti domini, qui ei tot tantaque bona concesserat; id vero multo abjectius fuit, quod tam degenerem et meticulosum se præbuit, ut ad veritatem redire noluerit, immo postea fœdus cum iis inierit, qui eum per fraudem a deo alienarant, quod pater ejus nunquam fecisset. Rex Haraldus, qui ethnicus fuit deique ignarus, omnes, quos artis magicæ diabolique cultores acerrimos nosset, interfici jussit; ex cujus dictis elucet, eum opem ab illo exspectasse, qui se creavisset, quamvis, qui deus esset, ignoraret. Quod autem de Hakono satrapa mentionem injecistis, ille pirata potius, quam princeps, appellari meruit; nam cum nobilitate generis satrapæ dignitatem meruisset, tamen principes, quibus imperium hujus regni jure competebat, quibusque servire debuisset, partim præliis, partim astutia et dolis interemit, regnumque sibi subjecit. Ille in

Dania, jussu regis Haraldi Gormi filii, quamvis invitus, baptizatus est, suique qui adfuerunt omnes, et jurejurando interposito regi Haraldo promisit, se omnes Norvegos ad christianismum perducturum. Prius vero quam e Dania solveret, omnes, quos rex Haraldus ei tradiderat, doctores et clericos remisit, et acerrimus dei hostis (apostata) factus est, rege Hakono hoc pejor, quod nulla re ad apostasiam perducebatur, nisi propria malitia et diaboli dolis; neque mirum fuit, fructum malum ex mala radice emicaturum, nam Sigurdus satrapes, pater ejus, maximum fuit decipulum et laqueus, exitium et pernicies regis Hakoni, aliorum principum minis ipsiusque infirmitate accedentibus. Vos vero etsi celebratis liberalitatem Hakoni satrapæ, ejusdemque virtutem propter victoriam, quam ex piratis Jomensibus reportasse visus est: id tamen verius est, eam victoriam non virtute partam, sed opera diaboli, nefandoque scelere, quo filium septennem, non minus quam se ipsum, diabolo dicavit. Proinde non est, quod speretis, me vestris adhortationibus, blanditiis minisve, adduci posse, ut sanctæ fidei et amori domini nostri Jesu Christi renunciem; nunquam enim meam dignitatem ita dehonestabo, ut inimici (diaboli) libidini serviam, quemadmodum isti dei hostes (apostatæ), quos memoravimus. Sed opus non est, ut longioribus dictis ducamini: nunc statim aut religionem christianam amplectiminor, aut mecum prælio decertatote; id tamen sciatis, velim, Thrandi interiores! heic multo plures adesse mihi addictos, quam speretis, neque dubito, nos majus dicrimen adiisse, quam cum rustico aut oppidano Thrandheimico dimicare. Rex finem dicendi fecit;

quod vero Skeggius interfectus erat, nemo rusticæ factionis copias ducere et signa adversus regem Olavum conferre sustinuit. Qua re factum est, ut omnes regi sese dederent et ad officium redirent. Tum rex omnes, quotquot nondum fuerant baptizati, sacro fonte lustrandos curavit, et obsides, in pignus observandæ religionis, a rusticis accepit. Deinde rex suos cum christianis doctoribus per omnes Trandheimi provincias dimisit; tumque omnes Trandheimi incolæ baptizati sunt, nemine religioni resistente. Rex Olavus cum copiis Nidarosiam rediit ibique consedit. Coloni vero funus Jarnskeggii in Yrjas deportarunt, et in Skeggjahaugo (tumulo Skeggii) ab orientali parte humaverunt.

Divortium Olavi regis et Gudrunæ.

Cap. 168. Rex Olavus, loco temporeque coeundi condicto, cognatos Jarnskeggii convenit, iisque multam pro cæde ejus obtulit, multis nobilibus viris cædis causam agentibus satisfactionemque postulantibus. Jarnskeggio una erat filia, nomine Gudruna. Tandem fœdus inter regem Olavum et cognatos Jarnskeggii ea lege factum est, ut rex Olavus Gudrunam duceret. Cum vero tempus nuptiarum adfuit, rex et Gudruna in eundem lectum coierunt; prima autem nocte, qua una concubuerunt, Gudruna, regem somno oppressum putans, cultrum strinxit eique intentare cogitavit. Quod rex, qui vigilaret, animadvertens, cultrum ab ea eripuit, lecto surrexit, ad suos exiit, et quid rei esset, ostendit. Gudruna quoque vestes sumsit, et cum omnibus viris, qui eam illuc comitati fuerant, statim abiit, nec unquam postea

in lectum regis Olavi venit (torum cum Olavo rege communicavit).

Rex Olavus Gruem construendum curat.

Cap. 169. Hac eadem hieme rex Olavus navem longam, in lingulis prope amnem Nidam, construendam curavit, multos fabros adhibens, opere celeriter procedente. Species erat navis rostratæ [1]), triginta interscalmiorum, prora puppique excelsis, alveo tenuiore, lateribus non altis; quam navem rex Gruem appellavit. Kjartan Olavi filius et Bollius hiemem, qua christianæ religioni nomen dederant, cum rege transegerunt. Rex Kjartanem præ omnibus Islandis magni æstimavit, propter genus et artis naturæque dotes. Constat quoque inter omnes, Kjartanem adeo gratia valuisse, ut inter aulicos nullum habuerit obtrectatorem. Item constabat inter omnes, nunquam fere talem virum, qualis fuit Kjartan, ab Islandia venisse. Bollius quoque cognatus ejus fortissimus vir habitus est.

De Hallfrödo poëta.

Cap. 170. Poëta Hallfrödus Ottaris filius cum rege Olavo fuit. Hic die quodam regem adiens, rogavit, ut carmini, quod de ipso fecisset, aures præberet. Qui cum præbiturum se negaret, Hallfrödus: id penes te sit, domine! sed si aures carmini præbere dedignaris, disciplinas, in quibus me erudiendum curasti, oblivioni tradam; his enim non major, quam carmini, inest poëticus lepos. Rex: difficilis poëta es; audientiam carmini tuo præ-

[1]) in textu *snekkja*, de qua voce vide scripta soc. litt. isl. Tom. 6. pag. 134.

bebo. Hallfrödus carmen, quod intercalatum erat, graviter (multa fandi libertate) recitavit; quo pronuntiato, rex: egregium carmen est, beneque compositum; tune jam mihi apparere, mecumque esse vis? Hallfrödus: equidem prius satellitibus Hakoni satrapæ adscriptus sum; jam vero neque tibi, neque alii principi operam dicabo meam, nisi fide data promiseris, mihi usu venturum nihil, quapropter me abdices aut a te repellas. Rex: is tibi vultus est, qui te virum promittat in paucis parum moderatum multaque sibi sumentem, tuoque de ingenio ea circumfertur fama, quæ opinionem mihi faciat, te aliquid acturum, quod nullo modo approbare queam. Hallfrödus respondit: hujus rei remedium in promtu est; tum tu occide me. Rex: tu sane quidem difficilis poëta es; verum tamen meus satelles esto. Sed restat tamen de cognomine (ut dicam), ait Hallfrödus, quid mihi pignoris (in cognominis monimentum) das, si difficilis poëta appellabor? Rex: intelligo, te hoc cognomine uti velle; itaque hunc a me ensem perpulcrum accipias velim; quem multam habere cautionem comperies, carebit enim vagina; hunc ita tres noctes et tres dies conserva, ut nemini fraudi sit. Tum Hallfrödus carmen pepigit:

Scio late potentem regem
misisse politori carminis
nudum gladium; quadantenus
nunc possideo pretiosum cimelium.
Bullæ capuli splendent
in manu gladii custodis,
cum munus vibro regium;
protensam habeo, rex, cuspidem.*)

*) Ordo: *ek veit, at víðlendr* [1]) *konúngr sendi vísu* [2]) *skreyti* [3]) *nökðan brand; nú ák* [4]) *dýra a) Sýrar* [5]) *mey* [6]) *af nökkvi* [7]) *b).*

Hallfröðus ensem tuto conservare potuit. Idem deos nunquam culpavit, etsi alii eos vituperarent, dicens non debere homines eos increpare, quamvis iis fidem habere nollent. Is aliquando, audiente rege, hos versus fudit:

Hjölt verða skrautlig fyrir hirði [8]) *skavlkvíngs* [9]), *c) þá ek of* [10]) *skjálga* [11]) *konúngs nauti d); höfum framdan kera e), gramr!* Abest in B. Extat in Sk. p. 109.

[1]) *víðlends* Sk. [2]) *var* S. [3]) *skeyti*, compositori, Sk. [4]) *at* F. Sk. non cerni potest in S. [5]) *syra* Sk., *syrra* F. [6]) *mér* S. [7]) *við nökkva nú flaustr burar Austra*, 132. pro *af nökkvi — dyra*, quod alium prorsus sensum parit. [8]) *herði*, incitatoris, A. S. 132. *hyrði* scribit Sk. [9]) sic dedi proprio marte; *skavglúngum* S., *skolkníngs um* Sk., Al. leg. *skaulkúngs um*, *skelkjun* 132; al. *skelkum*. [10]) hanc vocem suscepi ex 132, et idem valere puto ac *un*, si postponatur vocibus *þá ek*.

a) Syr. Freyæ nomen, cujus filiæ fuere Hnoss & Gersimi (Brabeum et Cimelium), Hkr. 1, c. 13. item Skalda p. 212, in quo loco quatuor versus exciderunt, ita restituendi ex cod. mscr.: *Grèt ok at Óði, gulli Freyja; heiti eru hennar, (Hörn ok Þrúngva, Syr, Skjálf, Gefn, ok it sama Mardöll; dœtr'ro hennar) Hnoss ok Gersimi.* Hinc *Syrar mey*, filia Freyæ, ponitur pro re pretiosa. Similes lusus poëtarum affert Skalda p. 134. *b) af nökkvi* prop. foret, ob aliquid, ob certam causam, et jungendum cum *sendi*; sed puto legendum *at nökkvi* (id. qv. *at nokkuru leiti*, quadamtenus, ut *at hvárru*, utut est), et sensum esse: etsi gladius vagina caret, obtinui tamen rem pretiosam; *nökkvi* autem est pro *nokku*, et hoc pro *nokkuru*, quemadmodum est in Edd. Sæm. Atlam. str. 26, *vera man þat for nekkvo*, et Völsungsk. 13. *þó kved ek nökkvi nornir valda*. *c) Skavlkvíngr*, ensis, id. q. *skelkvíngr*, quod affert Skalda pag. 215, propr. terrorem incutiens; *hirðir skavlkvínga*, pugnator (h. l. pro pron. possess., in mea manu). *d)* i. e. gladium a rege dono acceptum. *e) keri*, καθετηρ, h. l. de cuspide gladii accipio. *Framdr* ex interpret. Skaldæ p. 248, *framiðr er sá er framar er settr*, quo loco accipi potest vel de ense protenso, vel de milite in primore acie constituto. Imaginandus vero est poëta, ense protenso, versiculum fundere.

Illud prius erat, quod rite
colui ipsum dominum Hliðskjalfæ,
animo promtum; virorum
fortuna sæpe vertitur. *)

Tum rex: mali sunt hi versus, atque emendari debent. Hallfredus perrexit:

Omnis hominum prosapia
carmina composuit in gratiam Odinis;
novi permagnam nostrorum
majorum diligentiam;
Verum invitus, eo quod Odinis
imperium poetæ bene placuit,
odio habeo primum Friggæ
maritum, cum Christum colam. **)

Rex ait: tu nimium in id incumbis, ut deos laudes, quod tibi vitio vertendum. Tum Hallfrödus:

Afficiens viros donis! repudiamus
divinum nomen corvorum cultoris,
qui, comprobantibus populis, versutiam
exercuit in ethnicismo. ***)

---

*) Ordo: *Hitt var fyrr, er ek gat vel blóta sjálfan geðskjótan Hliðskjálfar harra* [1]*); skipt* [2]*) er á gumna giptu.* Abest in B. Est in Sk. 2, p. 110.

[1]) *herra* S. Sk. [2]) *skipti* id. Sk.

**) Ordo: *öll útt* [1]*) aldar hefir skipat ljóðum til hylli Óðins; ek man allgilda iðju várra niðja. En* [2]*) þviat vald Viðris hugnaðist skáldi vel, legg ek trauðr fjón á frumver Friggjar, þviat þjónum Kristi.* Abest in B.

[1]) *ætt*, id. F. S. Sk. [2]) *emek*, sum, F. Sk.

***) Ordo: *hölda* [1]*) reifir* [2]*) a) ! höfnum goða nafni hrafnblóts* [3]*) b), þess* [4]*) er ól lóm c) í* [5]*) heiðnum dómi, við lof lyða.* Abest in B.

[1]) in exscripto stropharum, mihi transmisso, scriptum erat *holda*, sed cum C. et 132 haberet *havlda*, non dubitavi ö pro *a* restituere. [2]) in exscripto erat *reifnir*, sed in lect. var., ubi scriptio codicis repetebatur, stabat *reifir*, quod secutus sum; nam si vel in cod. scriptum fuit *reifnir*,

Ad hæc rex: non res in melius it, et hos quidem versus melius non fecisses; quos jam novis versibus emenda. Cecinit Hallfrödus:

Robustus ille Thor cum Odine
Freyus et Freya sint mihi abalienati
et irati; renuncio vanæ de Njördo
superstitioni; sit mihi rex propitius.
A solo Christo et Deo omnem benevolentiam
exposcere volo; molesta mihi est
ira Filii; is celebre terrarum
imperium sub Patre tenet. *)

Rex: hoc melius quam non factum; alteramque stropham compone. Tum Hallfrödus:

Is mos est apud Sogniorum
regem, quod sacrificia prohibita sint;
cogimur pleraque, olim observata,
ludibria (decreta) fatidicarum vitare.

---

putaverim id pro *reifvir*, et hoc pro *reifir* esse habendum; C habet *ráfir*, F. Sk. *reifar*, 132 *reifa*. 2) *hrafnblæs* (o: *hrafnblætts*) id. Sk. 3) quidam: *þat*, quod, scil. nomen. 4) *or*, ex, C. F. Sk. 132.

a) i. e. rex! *b*) nempe Othini, qui et *hrafnfreistuðr*, corvos consulens, dicitur Skálda, p. 97. str. 4. *c*) *lómr*, avis, colymbi species, it. dolus. Hkr. 1, c. 53. hist. Hak. grandævi c. 318, 2. str. hinc *lómgeðr*, *lómhugaðr*, indole colymbi, versutus (ut *hauklundaðr*).

*) Ordo: *Enn rammi þórr við Grimni, Freyr ok Freyja, skyli mèr fjarðr a) ok gravm; ek lœt af dul 1) b) Njarðar; líknist gramr c). Ek vil 2) kveðja Krist einn ok Guð allrar ástar; reiði Sonar erumk leiðr; (hann) á frægt 3) vald 4) foldar und 5) Feðr.* Abest in B.

1) pro *af dul* habet 132 *aðul* et al. *óðal*. 2) *bið* F. 3) *frægr*, celeber, Sk. & al. 4) *valda* pro *vald á*, S. 5) quid. *við*, unacum

a) *fjarðr* idem esse puto ac *firðr*, remotus, abalienatus, a *fjarri* procul. *b*) *dul*, arrogans de se ipso opinio, h. l. vana superstitio. *c*) putat regem Olavum.

omnes homines Odinis
stirpem in auras rejiciunt;
cogor, posthabitis Njördi
natis, Christo supplicare. *)

Hallfrödus Ottarem interficit.

Cap. 171. Vir fuit nomine Ottar, genere Upplandus, cujus frater Kalfus nominabatur, ambo regis Olavi satellites; hi cum rege fuerunt, magni ab eo æstimati, sed apud populum minus gratiosi. Illi poëtæ Hallfrödo invidebant, quod nimium apud regem valere videbatur **), sed Hallfrödus iis cedere noluit. Vespere quodam inter potandum accidit, ut res inter eos ad altercationem veniret; rex, qui aderat, quod intelligebat, Ottarem in altercando Hallfredo imparem fore, causam ejus verbis patrocinatus est. Cum vero rex discessisset, rixa redintegrata, res tandem in contentionem abiit. Hallfrödus dixit, Ottarem

*) Ordo: *Sás a) siðr með Sygna ræsi, at blót eru kviðjut* [1]) *b); verðum at forðast flest forn-haldin skavp norna c). Allir ýtar láta Oðins ætt* [2]) *d) fyrir roða e); ek verð* [3]) *neydár at biðja Krist, frá niðjum Njarðar f).* Abest in B.

[1]) *kveðjot* S. *kviðut* Sk. [2]) *blót*, sacrificia F. *orð*, verba, 132. [3]) *nú er*, jam sum F. *nú em* id. 132.

a) sás. contr. pro *sá es*, i. e. *sá er*, is est. *b) kviðja*, vetare, vid. indic. ad jus eccles. ed. Thork. Eundem significatum habere videtur *kveðja* (v. *kveða*, quæ duo verba hand raro permutantur) in Fjölsvinnsm. 48. *Urðar orði kveðr engi maðr*, nemo fatis resistere potest. *c)* ita vocat ethnicæ religionis vanitatem. *d)* i. e. deos, Ases. *e) láta fyrir roða*, vento dare, spernere. *f)* ɔ: Freyo & Freya.

**) *Gángr* h. l. videtur proprie esse, adeundi venia, aditus, ut Knytl. cap. 103, quo sensu etiam *gaung*, n. pl. occurrit ibid. cap. 58. vel id. qu. *gengi*, n. successus, fortuna, honor.

per se vix sufficientem fore, si res inter eos ad iras verteret. Cujus disceptationis is exitus fuit, ut exsiliens Hallfrödus Ottarem securi, quam ei Hakonus Satrapa dono dederat, letali vulnere feriret. Kalfus et qui aderant, Hallfrödum comprehensum compedibus et manicis vinxerunt. Lex erat, si quis hominem in ædibus regiis obtruncasset, ut morte plecteretur. Kalfus ac sui regem adeunt, cædem Ottaris renunciant, qualis homo Hallfrödus esset, nunc apparere dicentes: hac ratione, ait Kalfus, aulicorum cohortes atterere cogitat, neque adeo certum est, an ipsi capiti, si occasio fuerit, parsurus sit. Kalfus et socii Hallfrödum omni modo quam maxime calumniabantur, usque eo donec rex, ut postridie interficeretur, jussit. Kalfus hac re lætatus est. Noctu Hallfrödum in vinculis servabant, eumque postridie mane ad supplicium ducebant. Tum Hallfrödus: num mortuus est, cui vulnus inflixi? Illis adfirmantibus, Hallfrödus: adeo dignus videbor, qui moriar; sed ubi Olavus rex? Quid ad te, inquiunt; jam te morte damnavit. Hallfrödus: si qui hic adsunt, de quibus bene sim meritus, nunc mihi eam referant grátiam, ut me ducant prope eo, ubi rex sit; pro aulico enim hospitio gratias ei agere volo. Tum evenit, quod vulgo dicitur, habere quemque in inimicis amicum. Aderant viri, qui agnoverunt, Hallfrödum sibi bene fecisse; hi eum ducebant haud procul inde, ubi rex Olavus et Sigurdus, episcopus aulicus, constituti erant. Quos appropinquans Hallfrödus, regem compellavit, dicens: memento, domine! quod mihi promiseris, te nunquam me abdicaturum; fidem ne violes, alias convictus noster brevior erit, quam optarem. Altera res, quam afferam, est,

quod patrinus meus es. Hic episcopus: per deum, domine! fac homo talium, tantarum tamque bonarum rerum aliquem fructum percipiat. Rex Olavus respondet: ità esto, domine episcope! ut petis. Mox Hallfrödum vinculis exsolvi jussit, quod et fecerunt. Graviter hanc rem tulit Kalfus. Hallfrödus postea in aula fuit, rariore jam regis favore et convictu infrequentiore usus; hanc tamen cædem rex pro eo expiavit. Die quodam, cum Hallfrödus coram rege staret, ad genua ejus procidit; rex eum lacrimas fundere videns, quærit, quæ res eum tantopere afficiat. Hallfrödus: tangit animum ira tua, domine! qua levari lubens optarim. Rex respondet; ita esto; legationem meam obito, qua si defunctus eris, in gratiam mecum redibis. An tu ensem possides, quem tibi dedi? Possideo sane, domine! ait ille, neque unquam vaginam intravit; neque tamen ulli homini noxæ fuit. Rex: bene convenit, difficilem poetam difficilem possidere rem; num stropham facere potes, in cujus singulis versibus ensis recurrat. Hallfrödus: periculum faciam, si vis, domine! omnia enim tentabo, ut iram tuam a me avertam. Tum Hallfrödus versus fudit:

Unus est ex gladiis gladius,
qui me gladiis divitem fecit;
nunc adversus vibratores gladiorum
creber existet gladiorum conflictus.
Non defectus erit gladiorum,
si mihi contingat vagina
colore picta [1]), ei gladio aptata;
dignus sum tribus gladiis. [2])

---

[1]) *jarðarmens*, omnes; *jarðarleggs* Hkr. quod vertitur, e ligno, lignea; ego vero de colore intelligo; nam *jarðarleggr*, crus

Rex, gratiis pro versibus actis, insigne artis documentum poëtica facultate ostendere dixit; tum ei vaginam ensi commodam, sollerter elaboratam, donavit his verbis: nunc gratia inter nos reconciliata esto, et si qua in re deliqueris, ut aut mensæ adesse aut ædem sacram adire, aut tale quid, negligas, præ pleriſque aliis ignoscetur tibi. Ille regi pro ipsius benignitate blande gratias egit.

Hallfrödus ad Thorleifum Sapientem mittitur.

Cap. 172. Paulo post, die quodam, accidit, ut Rex quæreret, ubi poeta Hallfrödus esset. Kalfus respondet: nunc pro more solito deos, puto, clanculum colit; cujus rei indicio est, quod imaginem Thoris, dente factam, in sacculo suo habet; utique tu, rex, nimium ejus ignarus es, neque potes eum, qui revera sit, explorare. Rex Hallfrödum illico arcessi jubet, et, cum adesset, quærit: num verum est, Hallfröde! quod de te narrant, te Thoris imaginem in sacculo tuo habere eamque colere? Hallfrödus reponit: hujus rei culpa vaco, quod et experientia mox docebit; nunc statim fac excutiatur sacculus meus; nulla enim subducendi facultas, etsi optavissem, mihi fuit, quippe qui hanc criminationem non præsagiverim. Excussus deinde est, neque quicquam in sinu ejus inventum, quod eum criminis a Kalfo intenti convinceret. Tum Kalfo Hallfrö-

terræ, lapis est, ut *foldar bein*; *steinn* vero, quod lapidem significat, sæpe de oolore usurpatur. *jarðarmen*, torques terræ, vulgo mare sonat; deinde vero etiam de lapide sumi potest, ratione habita montium orbem terrarum cingentium, Edd. Snorr. p. 9.

*) Abest hæc stropha in B. Extat in Sk. p. 112. & in. Hkr. 6, c. 90.

dus: isthæc, inquit, sane capitalis calumnia est, quæ res tibi malo erit, si mihi quam libet tui copia fiet; tu quoque me prius comprehendisti, atque parum abfuit quin me neci dares, aliquà tum quidem causa, nunc vero nulla, nisi solo mendacio et calumnia. Rex ait: nullo modo vobis una manere licet; quare Kalfus ad res suas redito; tum neque te, neque alios, apud me deferet; tu vero, Hallfröde! legatus in Upplanda proficiscere ad virum, nomine Thorleifum Sapientem, Thorleifi Hördakarii filii ex filia nepotem, qui religionem christianam amplecti non vult; hunc aut interficito, aut excæcato; ad quam profectionem secundam tibi addam meam fortunam, inceptis tuis adspiraturam; quot volueris homines tibi comites adscisce; sed legatos olim ad Thorleifum misi, qui eorum, quæ volui, nihil perficere potuerunt. Hallfrödus respondet: haud mihi ista profectio libero homine digna videtur; libens tamen, quo me cunque mittere voles, proficiscar; volo autem, ut Josteinn avunculus tuus me comitetur, meorumque consessorum quos eligam, ita ut omnino simus viginti quatuor. Deinde instruitur iter. Illi, donec in sylvam prope a prædio Thorleifi sitam pervenerunt, equitant; heic in loco sylva vacuo ex equis descendunt. Tum Hallfrödus: jam villam adibo, vos autem me hic ad tertium diem, si opus fuerit, præstolemini; si ad id tempus non rediero, vos domum revertite. Josteinn se ei comitem obtulit, quod ille renuit. Induit se Hallfrödus habitu mendici, faciemque quam maxime commutavit, colore oculis indito, sed versis palpebris, vultuque limo et carbonibus oblito; barbam promissam sibi adaptavit, mento et genis adglutinatam; et jam senecionis ho-

minisque prorsus ignoti speciem referebat, denique tergo injecit fasciculum centonum [1]) oblongum, in quo ensis, munus regium, absconditus erat. Thorleifus, more priscorum hominum, in tumulo haud procul ab ædibus sæpiuscule considere solitus est, id quod usu venit, cum jam Hallfrödus adesset. Hic ad tumulum tendens, tarde et senili anhelitu gressum moliebatur, gravi tussi (quippe senem agens) laborans, in barbam identidem inspuebat, oculos, quamvis hebetes, distorquebat ad dispiciendum, ecquid hominum foris esset. Ad tumulum accedentem Thorleifus salutavit, et qui vir esset, interrogavit. Ille contra: senex pauper sum, inquit, udore et nunc maxime frigoribus debilis, quippe qui tota hac hieme sylvas pererraverim; initio superioris autumni in manus incidi satellitum regis Olavi in Thrandheimo; ad regem ductus, cum me ad christianam religionem vi cogere pararet, clam aufugi, uno regiorum prius interfecto. Ex quo tempore inedia et gelu male me habuit, tecto capite oberrantem; brevi autem vires resumerem, si recreatione fruerer. Ideo me huc contuli, quod fama fert, te virum esse liberalem et in multos tuæ opis indigos beneficum; quare mihi aliquam opem præbeas, quæso. Thorleifus respondet: quid hujus rei fiat, nescio; credibile tamen est, te multa loca obiisse et res multas nosse, si senex es; lingva quoque satis facili uteris. Inde multa de situ et nominibus locorum quærere cœpit, mendico ad singula, quæ interrogavit, prudenter & copiose respondente. Thorleifus loquitur: ecquis vir cum rege Olavo fuit, nomine Hallfrödus; illum sæpe som-

[1]) faciculum corticis betulini. S.

nio, neque id quidem admodum memorabile; verum regii huc brevi aderunt. Senex contra: Hallfrödi istius fama ad me pervenit, eaque raro bona; atque ipse in me expertus sum, eum ibi adfuisse, nam unus erat ex iis, qui me ad regem duxerunt. Hæc dicens senex in tumulum ad eum anhelus nititur. Thorleifus fatur: nescio, quis hominum sis, aut quid loquare; sed tu in oculis meis haud sane exiguus appares. Tum surgere conantem rapit Hallfrödus atque subjicit sibi, quippe multo robustior; ambo per tumulum devolvuntur; Hallfrödus superior factus, tigillum in oculum Thorleifi adigit atque e capite excutit. Tunc Thorleifus: nunc evenit, qui mihi semper fuit tui timor atque sollicitudo, Hallfröde! neque jam solus ades, nam fortuna regia te comitatur; haud dubito, regis esse mandatum, ut me aut interficias aut excæces; nunc autem te oro, ut mihi alterum oculum des; tibi vicissim cultrum et zonam donabo, utrumque rem pretiosam; postea, si usus erit, opem tibi feram, nam fieri potest, ut aliquando auxilio hominum indigeas. Hallfrödus respondet: nullus inducor, ut acceptis muneribus aut rebus pretiosis jussa regis violem, immo in me solus recipiam, ut oculum alterum gratis tibi dem. Thorleifus ei pro oculo gratias egit; atque sic diversi discedunt. Hallfrödus ad suos in sylvam se recipit, magno gaudio se invicem excipientibus. Thorleifus domum rediit, nec ulli de vulnere retulit, prius quam Hallfrödus procul abiisset. Hallfrödus ac sui iter persequentes, via ducente eo venerunt, ubi Kalfus villam habuit; is in agro constitutus sementem faciebat. Tum Hallfrödus: commodum accidit; sceleratum illum Kalfum interficiamus. Josteinn reponit:

ne faciamus, ut fortunam ita misceamus infortunio. Hallfrödus contra: non ex æquo res agitur, si, viro bono mutilato, hunc nequam hominem vivere sinamus; neque possum, quin ei notam saltem imponam. Tum Hallfrödus, equo desiliens, Kalfum comprehendit et alterum oculum ei eruit. Kalfus mutilationem impatienter tulit. Hallfrödus fatur: etiam nunc tu mollitiem ostendis; neque mirum, multum te et Thorleifum Sapientem fortitudine et virtute interesse. His gestis Hallfrödus cum suis iter pergit, donec regem conveniret; rex eos salutavit, et, quid novi, interrogavit. Hallfrödus se Thorleifum excæcasse refert. Rex: tum bene rem gessisti; itaque ostende mihi oculos ejus. Hallfrödus oculum Kalfi depromsit et regi monstravit. Rex: ubi talem oculum nactus es; jam plura, quam præcepi, te fecisse credo; hic enim oculus Thorleifo non fuit. Hallfrödo deinde alterum oculum ostendenti, rex: hic, inquit, Thorleifi oculus est; vera nunc refer, quid feceris. Tum Hallfrödus se Thorleifum altero oculo privasse, alterum Kalfo eruisse profitetur. Rex: ergo mandatum non nisi ex parte dimidia exsecutus es, quare altera vice redito, atque Thorleifi oculum, qui restat, mihi referto. Nolo, ait Hallfrödus, Thorleifo oculum, quem ipsi dedi, eripere; Kalfum vero, si placet, adibo eumque omnino excæcabo aut interficiam; nondum enim non nisi ex dimidia parte remuneravi, quod me hastæ cuspide arietavit et vinctum ad necem trusit, ut furem; et, ut verum profitear, ideo non plus mali ei intuli, quod talem homuncionem indignum duxi, quocum negotium communicarem. Rex rem ibi loci fore

jussit. Hallfrödus deinde cum rege versatus est, magnoque honore habitus.

De Ögmundo Dilto et Gunnare Bicolore.

Cap. 173. Hoc tempore multi, iique nobiles viri in Islandia fuere, quos inter & regem Olavum Tryggvii filium cognationis necessitudo intercedebat. In his Vigaglumus, filius Eyolfi Hrugæ & Astridæ, filiæ Vigfusis ducis, ut supra memoratum est. Soror Vigaglumi, nomine Helga, Steingrimo in Sigluvika nupta erat, quorum filius nominabatur Thorvaldus, cognomine Tasaldus. Vir in domo Vigaglumi adoleverat, nomine Ögmundus, Rafnis filius. Rafn eo tempore vir erat dives, et in Skagafjördo in insula septemtrionali, habitabat; is Glumi matrisque Astridæ mancipium fuerat, sed a Glumo libertate donatus; hujus ergo libertus Rafn fuit. Mater Ögmundi, cujus nomen non proditum est, erat ex familia Goddalensium, Vigaglumumque cognatione attingebat. Ögmundus erat pulcra facie, statura grandi, bonæque spei juvenis; egregieque a Glumo cognato suo habitus. Glumus, jam ætate provectus, Thverbrekkæ in Öxnadalo habitavit, cum Ögmundus, cognatus ejus, ætate maturus esset; Vigfus vero, Vigaglumi filius, in Norvegia apud Hakonum satrapam degebat. Vere quodam Ögmundus Glumo significat, se peregre proficisci velle; volo, inquit, navem Gasis emere, patrisque pecunias, quæ affluentes sunt, in id impendere, tua vero opera et intercessione uti. Glumus respondet: multi quidem peregre proficiscuntur, qui spei melioris non sunt, quam tu videris; sed plurimi interesse duco, te potius in hac peregrinatione honorem et famam, quam opes, con-

sequi, si utrumque consequendi facultas non erit. Glumus ei navem emit ab hominibus Norvegis. Ögmundus iter parat, multa adsumta pecunia, quam ei pater dedit; constitutumque est, ut ipse præfectus navis et convectorum esset, quorum plurima pars erant Islandi, qui quidem prius ad exteros non fuerunt profecti. Provectiore jam æstate solventes, prosperis flatibus usi sunt, vehementes, commodos tamen, ventos nacti. Ex alto delati, terram declinante die conspiciunt, vento secundo terram versus acrius spirante. Norvegi, qui viam monstrabant, magis tutum esse demonstrabant, insequenti nocte velo demisso navem in uno loco tenere, lucis autem ortu terram velis petere. Ögmundus infit: vento tam commodo absit ut non utamur; incertum enim est, an sequenti mane tam secundus obtingat, luna vero claro lumine noctem collustrat. Illi morem ei gerunt, et vela ventis dant. Cum vero haud procul a terra abessent, incidunt in multas longas naves, quæ copulis junctæ in freto quodam insulari in anoris stabant, quas non prius conspexerunt, quam unam earum adnavigantes pessum depresserant, quo facto continentem versus in portum tendebant. Tum homines quidam, qui in nave mercatoria erant, eos incautius navigasse dictitabant, Ögmundo, utrorumque fuisse sui cautionem, reponente. Longis istis navibus præfuit Hakonus satrapa; navis autem, quam adnavigantes depresserant, erat viro, nomine Hallvardo, diviti satrapæque amicissimo; res omnes, quæ in navi fuerunt, amissæ; homines servati. Sequenti mane Satrapæ confestim nunciatum est, quæ contumelia et damnum ipsi illata essent; quo nuntio ira accensus: hos,

inquit, homines stultos esse nebulones appareret, neque ante ad exteros adiisse; nunc tibi, Hallvarde! potestatem facio, pœnas iis infligendi, tuæque contumeliæ vindictam exsequendi; hos enim tales esse credo, qui te viribus superiores non sint; quippe cui neque animi fortitudo, neque in agendo strenuitas desit, quin illis, quicunque tandem sint, parem contumeliam aut etiam majorem rependas. Vigfus Vigaglumi filius excipit: tu hos homines in gratiam recipias, quæso, ea lege, ut, si rem tuo arbitrio submittant, vitam illis concedas; nunc ibo, ut sciam, qui homines sint, reconciliationem, si quid confiet, tentaturus. Satrapes respondet: facias licet; sed fiscum [1]) meum, in tantis facinoribus pecunia expiandis, justo iniquiorem illis visum iri auguror. Vigfus ad navem mercatoriam se contulit, et Ögmundum cognatum suum agnovit, quem salutatum nova ex Islandia de patre suo sciscitatus est. Ögmundus ad interrogata respondebat. Deinde Vigfus: res vestra in magno discrimine versatur propter hos casus; tum exponit, quantum deliquissent, et Hakonum satrapam in reconciliatione difficilem se præbuisse; nunc eo fine huc ad te veni, cognate! ut svadeam, rem tuam satrapæ arbitrio ut submittas; ego vero causam tuam, quantum potero, præparabo, tumque aliquo modo bene procedet. Ögmundus reponit: ea mihi de hoc satrapa fama perfertur, ut omnem causam ejus arbitrio submittere nolim, præsertim si mala minatur; ea enim præ-

[1]) *lokarr*) ex conjectura fiscum (crumenam) reddidi; vox occurrit in compos. *Orðlokarr*, cognomen viri, Njal. cap. 25, o. sacculus verborum, id. q. *Orðabelgr*, homo loquax; quondam putavi, *lokarr* esse promum condum, quæstorem.

stabit; sed non denegabo, si moderatus in postulando sit. Vigfus contra: respiciendum tibi est, quid te deceat, nam cum eo nunc tibi res est, cujus iram perferre nequeas, si judicium ejus detrectas. Vigfus ad navem satrapæ se contulit, eique significat, horum quosdam suos esse coalumnos, quosdam vero cognatos: qui et causam suam tuæ potestati subjicere volunt. Tum quidam ex satrapæ comitibus: falsa tuo domino refers, Vigfus! illi nullam dignam pro se satisfactionem offerunt. Hallvardus infit: verissimum est, mihimet convenire, ut injuriam ipse ulciscar, aliorum opera in auxilium non vocata. Satrapa eum sic facere jussit. Vigfus fatur: ejus hominis necis auctor ero, si licebit, qui Ögmundum cognatum meum interfecerit. Hallvardus reponit: etsi vos, Islandi, animositate valetis, tamen exspectare par est, hujus terræ incolas, qui alicujus momenti videntur, contumelias sine satisfactione non magis a vobis, Vigaglumi cognatis, quam ab aliis hominibus æquo animo passuros. His dictis Hallvardus ad navem mercatoriam remigat; satrapa vero Vigfusem firmo apposito præsidio custodivit. Hallvardus, cum ad navem pervenisset, quærit, quis præfectus navi sit. Ögmundus nomen suum edit. Hallvardus: ego sociique gravia adversus vos crimina habemus, eoque fine huc adsumus, ut noverimus, ecquam dignam satisfactionem præstare velitis. Cui Ögmundus: non mulcta denegabitur, si non immoderate postulata fuerit. Hallvardus contra: hæc res ad eos pertinet viros, qui pro gravibus contumeliis exiguam mulctam accipere dedignantur. Ögmundus reponit: mulctam denegabimus, si ex adversa parte superbe agitur. Convenientissimum quoque puto, ait

Hallvardus, id a vobis non petere, quod ipsi offerre debuissetis. Tum in navem insiliens Ögmundum aversa securis parte tanto ictu percussit, ut confestim animo linqueretur; quo facto satrapam convenit et rem indicat. Sed satrapes eum minorem quam pro meritis ultionem exsecutum dixit. Cui Hallvardus: præfectus eorum gravissime hac in re deliquerat, quare hac vice non plura patrare visum est, quam eum ad deliquium percutere; commodum nempe fuit, contumeliam contumelia rependi; in expedito autem est, ultionem deinceps augere, si ita visum fuerit. Quæ cum Vigfus resciret, rem ægerrime tulit, et Hallvardo aut vulnus aut necem, si occasio se obtulisset, inferre cogitavit; sed Satrapes ita fecit eum custodiri, ut nulla se daret occasio. Ögmundus ad se rediit, gravi plaga accepta, et tandem, cum multum hiemis decubuisset, sanitati restitutus est; hanc ob rem magno habitus ludibrio, ita ut quocunque veniret, Ögmundus Dittus (labes) appellaretur; verum ille se scire dissimulavit, quid quisque loqueretur. Vigfus sæpius ad eum veniens, hortatus est, ut injuriam ulcisceretur: qua in re, inquit, opem tibi feram, ut contumeliæ tibi illatæ vindictam persequaris. Ögmundus ait: hæc res non eo spectat, cognate! mihi quidem videor hac in causa non plus ignominiæ accepisse, quam Hallvardus; vixque exspectare erat, nos minorem ultionem fuisse mansuram, qui tam atrociter causam nostram a principio instituerimus; temerarium est, hoc ulcisci, cum Hallvardus Hakoni satrapæ gratia tantopere valeat, tu vero in potestatem ejus huc veneris; aliud profecto Glumus, pater tuus, de me meruit, quam ut eo periculi te addicam, ut per me de mem-

bris aut vita tibi metuendum sit. Vigfus respondit: ea de re nullam tibi gratiam habeo, neque habebit pater meus, quod tibi sumis, rebus meis prospicere, ubi egomet nolim; qua in re te potius timiditate, quam cautione duci judico, atque malum est, homini adesse, qui cor leporis in pectore gerat; maxime quoque credibile est, te magis serviles natales, quam genus Thveraënsium referre. Ita digrediuntur, Vigfuse ira quam maxime incenso. Elapsa hieme, itemque vere, Ögmundus navem parat, et æstate in Islandiam trajicit, magnam pecuniæ vim in hoc itinere lucratus, navemque in Eyafjördum appulit. Glumus statim de adventu navis certior factus est; eidem relatum, quanta Ögmundo contumelia illata esset. Ögmundus, cum navi et pecuniæ suæ prospexisset, Thverbrekkam profectus, apud Glumum aliquantum temporis egit. Glumus ei se pauciloquum præbuit; atque apparuit, adventum ejus ipsi minime gratum esse. Ögmundus hilarissimum se præbuit et in cultu splendidum; omnibus conventibus interfuit, et causis hominum se plus justo immiscuit; et siqua de re disceptaretur, nemo hominum ad ingentia facinora occipienda promtior Ögmundo videbatur; idem in omnibus rebus ad administrationem rei familiaris et subvectiones pertinentibus Glumo se officiosum præbuit, summamque sui jactantiam ostendit; sed diu erat, quod Glumus eum alloqui nolebat. Die quodam Glumus eum affatus: scias velim, inquit, Ögmunde! me tibi nullam habere pro tuo labore gratiam; et mirum mihi videtur, cur te adeo procacem sive in causis hominum curandis studiosum præbeas, cum nulla tibi virtus insit, et sane tua prima profectio turpis-

sima evasit, ita ut nunquam te vidisse optarim, qui tibi ipse dedecori et omnibus cognatis tuis opprobrio esse volueris, et perpetuam ignaviæ famam mereri, eo quod te ulcisci non sustinuisti. Ögmundus reponit: id considerandum est, cognate! qua mente ultionem distulerim: scilicet religioni mihi fuit, Vigfusi filio tuo periculum facessere. Non tuum erat, ait Glumus, ei providere, cum ipse nollet; et bene actum putaverim, vos ambos mortuos esse, si virtutem in ultione exsequenda exhibuisses. Nunc alterutrum est, aut tu virtute et patientia alios homines superas, et, quamvis serius, te virum præstabis (quippe qui ceteroquin ignaviam vultu minime præferas); aut tu omnino ignavus es, quippe quod, cum pejora plerumque vincant, serviles natales virtutem ægre admittant; te autem diutius mecum habere nolo. Itaque Ögmundus se ad patrem contulit. Transactis vero in Islandia duabus hiemibus, navem instruit, nautas conducit atque Norvegiam petit; ex alto redditus Thrandheimum tenuit; sinum ingreditur et die præcipite navem apud Nidarholmum constituit. Tum Ögmundus: nunc scapha in mare demittenda; in amnem subvehar, ut nova ex terra resciscam. Ögmundus amiculo bicolori, clavis aureis circa axillas distincto, veste eximia, se induit; ipse tertius cymbam conscendit; hoc primo mane accidit; jamque ad pontes subeunt. Tum vir quidam ex oppido descendit, indutus lacerna coccina, nexilibus limbis consuta. Lacernatus ille in pontes descendens, quæsivit, quis scaphæ præesset. Ögmundus, quis sit, aperit. Oppidanus: tune Ögmundus Dittus es? Ita me non-

nulli appellant, ait ille; tu vero qui vocare? Ille: Gunnar bicolor appellor; ideo vero sic nominor, quod bicolores vestes in deliciis habeo. Ögmundus: quid in hac terra novi est? Gunnar: nunc maximi momenti censetur, quod Hakonus satrapa decessit, succedente præclaro rege Olavo Tryggvii filio. Ögmundus: ecquid nosti, ubi vir sit, nomine Hallvardus, ex Thrandheimo oriundus, claro genere et dives? Gunnar: haud mirum, inquit, est, te illum quærere, is nunc appellatur HallvardusHárr (altus) [1]), nam altera ab hinc hieme in prælio adversus piratas Jomenses cum Hakono Satrapa fuit, ubi grave vulnus in collo pone aurem accepit, ex quo tempore incline caput gestat; nunc vero heic in oppido apud Olavum regem est, a quo magnos honores obtinuit. Verum tu, Ögmunde! bonum amiculum bicolor geris, bene coloratum; an hoc mihi vendere vis? Ögmundus: vendere quidem nolo; sed, si tibi probatur, donabo. Fortunatissimus mihi dederis, ait Gunnar; et optarim sane hoc donum remunerare posse; sed primum hanc lacernam accipe, fieri potest, ut usui tibi sit. Tum Gunnar paulo interius in oppidum se contulit, Ögmundus vero lacerna se induit et ad suos fatur: vos scapham ex crepidine paululum a puppi religate, ne a terra deferatur, dum abfuero; ipsi autem in interscalmiis considete, remosque paratos habete ad remigium. Deinde Ögmundus in oppidum subit, nullis hominibus animadversis. Videt fores domus cujusdam [2]), ubi homines stabant manus lavantes, quorum unus corpore maximus, vultuque formosissi-

---

[1]) *háls*, collum, F. quod rectius, ob vulnus in collo acceptum.
[2]) apertas, add. C. S.

mus erat; is caput incline gestavit, quem, ex relatione Gunnaris, Hallvardum esse judicavit. Ögmundus ad fores accessit, ab omnibus, qui intus erant, pro Gunnare habitus. Is voce paullo submissiore ab Hallvardo petit, ut parvula de re ad se exeat: est enim mihi tecum necessarium expeditumque negotium, ait; deinde aliorsum ab foribus secedens, gladium, quem manu gestavit, strinxit. Gunnar Bicolor omnibus ex colloquio erat notus, quare Hallvardus solus exiit, quem ad se accedentem Ögmundus statim letali ictu feriit; quo facto ad cymbam decurrit; lacernam ab humeris rejectam, lapide in cucullum injecto, in amnem conjecit, ut pessum subsideret. Tum conscensa scapha, jubet ut ex amne naviculam propellant. Cum vero ad navim mercatoriam ventum est, ad suos ita loquitur: hæc regio male pacata est; nunc vero ventus ex sinu interiore adspirat, quare velis sublatis in Islandiam revehemur. Illi eum meticolosum appellabant, qui in terram exscendere non auderet, quamvis incolæ internis odiis certarent. Jussa tamen faciunt, et in Islandiam revecti Eyafjördum tenuerunt. Ögmundus Vigaglumum conveniens, de itinere suo exponit, jam ultionem, quamvis longiore mora interjecta, exactam esse. Approbat Glumus, se animo præsensisse testans, fore, ut tandem homo frugi evaderet. Et jam Ögmundus hiemem apud Glumum, laute habitus, transegit. Sed illuc revertendum, quod socii Hallvardi, cum reditum ejus tardari intelligerent, exeuntes eum exanimum in cruore suo jacentem reperiunt. Res regi Olavo nuntiata, opinionemque esse, eum a Gunnare Bicolore necatum. Rex ad hæc: hunc non po-

tissimum (cædis auctorem) optaverim; verum tamen, si facinoris auctor est, quæritor et patibulo affigitor! Gunnari Bicolori frater erat, nominē Sigurdus, vir dives, regis Olavi satelles, eique carissimus. Hic in oppido aderat, et ut resciverat, fratrem supplicio destinatum, eum quærit et invenit, rogatque an facinoris, quod ei imputatum esset, auctor sit? Gunnar pernegat. Sigurdus: hoc tamen pro certo habent, atque dic mihi, quid de hoc casu noveris. Gunnar: id neque tibi, neque aliis hac vice indicabo. Tum Sigurdus: itaque saluti tuæ consule! Gunnar sic fecit, et in sylvam evasit, nēque repertus est; deinde orientem versus montes superat, et per Upplanda profugit, et qua potuit delitescebat, non intermisso itinere, donec in Svethiam perveniret. Hic eo tempore cultus simulacrorum quam maxime florebat; diuque Freyus summa religione cultus fuerat, cujus simulacrum tanta vi adauctum est, ut diabolus per idolum cum hominibus loqueretur. Freyo data est famula juvenis et formosa; credebatur vulgo, Freyum vivum essē, id quod aliqua ex parte visum est, eique opus esse putabant, ut cum uxore sua rem haberet. Decretum est, ut ea unacum Freyo templo et omnibus adjacentibus maxime præesset. Huc tandem delatus Gunnar Bicolor, ab uxorē Freyi auxilium hospitiumque petivit. Quæ, eum intuita, quis esset, quæsivit. Ille se erronem vilioris notæ et peregrinum professus est. Cui illa: non tu omni ex parte fortunatus esse videris; Freyus enim te propitiis oculis non adspicit. Nunc hic primum tres noctes quiesce, ut videamus, si quo modo Freyo proberis. Gunnar respondet: multo satius judico, tuo auxilio et gratia, quam

Freyi, uti. Gunnar erat hilaris et perquam facetus. Is, elapsis tribus noctibus, ab uxore Freyi quæsivit, quid de sua ibi mansione decrevisset. Haud probe scio, ait illa; tu homo es inops, forte tamen ex bonis ortus, quapropter tibi aliquam opem ferre cuperem, sed Freyus tibi minus favet, vereorque, ne ira ejus obsit. Jam heic dimidium mensem commorare, ut, quid porro fiat, videamus. Gunnar fatur: res ita se obfert, ut præoptarim, quod Freyus me odit, tu vero opem mihi fers, nam eum non mediocrem diabolum existimo. Gunnar, quo diutius ibi est commoratus, eo se magis hominibus probavit, propter suas facetias ceteramque strenuitatem; is denuo in colloquium uxoris Freyi venit, et de rebus suis quærit. Ea respondet: bene hominibus places; quare svaserim, ut hic instantem hiemem agas, et mecum et Freyo convivia adeas, quando hominibus annonam levaturus est; tamen infenso in te animo est. Gunnar ei ingentes gratias habuit. Jamque aderat tempus, quo domo proficiscerentur; Freyus et uxor ejus currui insiderent, quem famuli eorum prosequerentur. Erat illis per montana proficiscendum, obortis vero gravibus nivium nimbis, magna viæ difficultas exstitit. Gunnari id negotii datum est, ut currum comitaretur jumentumque duceret. Sed tandem eo ventum est, ut omnes eos deserorent, solo relicto Gunnare et Freyo ac uxore sua, qui curru vehebantur. Jam Gunnar, jumentum ducendo admodum fatigari incepit, cumque aliquantisper in labore perseverasset, ductu renunciato, currum conscendit et viæ ductum jumenti arbitrio permittit. Paulo post mulier Gunnari: adjuva nunc denuo, et equum duc; alioquin Freyus adversus te insurget. Sic

aliquamdiu facit, cum vero denuo lassari cœpisset, loquitur: periculum nunc faciam Freyo resistendi, si me fuerit aggressus. Tum Freyus ex curru se molitur, mutuisque uterque complexibus congrediuntur, Gunnari vero vires ad resistendum admodum defuere. Cum autem intelligeret, rem sic non profecturam, cogitatio animum subiit, si hunc hostem opprimere potuisset et in Norvegiam redire licuisset, facturum se, ut ad veram religionem reverteret, et cum Olavo rege in gratiam rediret, si se recipere vellet. Simul post hanc cogitationem subortam, Freyus primo labare, deindeque corruere; mox hostis (dæmon), qui in idolo delituerat, inde evolat, inani trabe relicta, quam totam (Gunnar) diffregit. Deinde mulieri duas conditiones proponit, ut aut ipse ea relicta effugium quærat, aut ea ipsum Freyum esse profiteatur, cum in tractus habitatos pervenissent. Ea se hoc multo prius asseturam ostendit. Ille deinde vestitum idoli induit, cœlo jam dispulsis nubibus clariore reddito. Tandem eo pervenerunt, ubi convivium iis apparatum erat. Huc multi eorum convenerant, qui eos prosequi debuerunt. Magna fuit admiratio Freyi, quod tantam potestatem exhibuisset, quod ipse cum uxore tam atroci tempestate ad habitatos tractus pervenire potuisset, ceteris omnibus dilapsis; præterea, quod nunc cum aliis hominibus incedere posset, et more aliorum hominum biberet et comederet. Hac hieme convivia obibant, Freyus vero cum aliis hominibus perpauca locutus est. Eo demum res devenit, ut animalia, quemadmodum prius, sibi mactari prohiberet, nullaque sacrificia, nulla munera aut oblationes, præter aurum et argentum, bonas vestes aut alias res

pretiosas, acciperet. Procedente vero tempore orta est opinio, uxorem Freyi gravidam esse; hoc vulgo percelebre videri, Svecique deum suum in summis deliciis habere: accessit et jucundissimus cœli status et maxima post hominum memoriam omnium rerum feracitas. Rei novitatem fama per plurimas terras pertulit, quam potens sit deus a Svecis cultus; idem ad regem Olavum Tryggvii filium perfertur, illi vero, quid causæ subesset, subolevit. Et die quodam sequentis veris Sigurdum, Gunnaris Bicoloris fratrem, ad se arcessi jubet, et interrogat, ecquam de fratre Gunnare famam accepisset. Sigurdus se nihil audivisse asserit. Rex porro: tenet animus, hunc deum a Svecis publice cultum, fama nunc celebratissimum, quem Freyum appellant, revera esse Gunnarem, fratrem tuum; is enim cultus immanissimus fieri solet, quando vivi homines pro diis coluntur. Nunc te orientem versus ad eum revocandum mittam; immane enim est, christiani hominis animam adeo misere perire; qui si ad me volens redire velit, iras ei condonabo; nunc enim novi, Hallvardum non a Gunnare, sed ab Ögmundo necatum esse. Sigurdus, magna celeritate adhibita, Freyum istum conventum proficiscitur, in quo fratrem Gunnarem agnovit; cui regis Olavi mandata et dicta exponit. Gunnar respondet: equidem lubens iverim, et cum rege Olavo in gratiam redierim; sed Svecos, si rem animadvertant, vitæ meæ insidiaturos credo. Sigurdus reponit: clam hinc aufugiamus, confisi, ut res est, fortunam et benevolentiam regis Olavi cum dei misericordia plus valituram, quam malevolum Svecorum et infestum animum. Gunnar se uxoremque parat, adsumtaque omni, quam ferre

poterant, pecunia, iter noctu clam ingrediuntur. Sveci de fuga certiores facti, ram, ut gesta fuisset, sapere sibi visi sunt, atque homines e vestigio mittunt, qui eos reducant; qui haud longe progressi, a recta via aberrarunt, et cum eos non invenirent, reversi sunt. Sigurdus vero ac sui itinere non prius destitere, quam regem Olavum convenerunt, qui Gunnarem in gratiam recepit, uxoremque ejus fecit baptizari; atque ambo exinde rectam religionem tenuerunt.

Rex Kjartanem in Islandiam ad christianam religionem annuntiandam proficisci jubet.

Cap. 174. Hac hieme, qua Gunnar Bicolor in Svethia fuit, Kjartan et Bollius, nec non Hallfrödus Difficilis-poëta cum rege Olavo, ut supra memoratum est, fuerunt. Elapsa vero hieme, cum homines profectiones pararent, Kalfus Asgeiris filius Kjartanem conveniens, interrogavit, quid insequenti æstate de rebus suis consilii instituisset. Ille respondit: id potissimum faciendum cogitavi, ut Angliam hac æstate petamus; ibi enim nunc christianis hominibus quæstuosam mercaturam exercere licet; prius autem quam hanc rem decernam, regem convenire volo, nam cum nos ea de re colloquebamur, parum approbavit. His dictis Kalfus discessit, Kjartan vero regem colloquendi gratia adiit; quem rex pro more summa comitate excepit et quæsivit, qua de re ipse ac socius collocuti fuissent. Kjartan, quid ipse ac Kalfus potissimum statuissent, demonstravit, se vero ideo adesse, ut veniam proficiscendi petat. Rex respondit: de profectione eam tibi conditionem proponam, ut hac æstate Islandiam adeas, et

incolas vi aut consilio ad religionem christianam amplectendam cogas; sin vero ea profectio tibi difficilis videtur, nequaquam te dimittam; tu enim nobis magis idoneus videris, qui nobilibus viris appareas, quam qui mercatorem agens inter terras jacteris. Kjartan respondit: optio mihi in expedito est; multo magis hic tecum esse malo, quam cum cognatis et amicis meis contendere; et quod ad patrem meum aliosque cognatos attinet, speraverim eos non ideo voluntati tuæ magis restituros, quod ego hic in potestate tua bene habear. Cui rex: hæc sane optio et prudentiam et magnanimitatem indicat. Tum ei rex omnem vestitum dedit coccineum, nuper concinnatum, quem sibi faciendum curaverat, Kjartani bene commodum; nam æqualis staturæ fuisse dicuntur rex Olavus Tryggvii filius et Kjartan Olavi filius, quando mensuram subibant. Kalfus Asgeiris filius hac æstate, merces suas et Kjartanis commutaturus, in Angliam trajecit.

Hallfrödus Difficilis-poëta in Gothiam pervenit.

Cap. 175. Die quodam hujus veris Hallfrödus Difficilis-poëta, cum coram rege esset, fatur: veniam a te, domine! impetrare cupio, hac æstate austrum versus Haleyram mercatus gratia trajiciendi. Rex: non vetabo; verum præsagit animus, te non minore cupiditate rediturum, quam nunc abis; multaque, antequam rediturus sis, experturum fortunæ ludibria. Hallfrödus contra: jacienda tamen alea, inquit. Hallfrödus postea itineri se accingit, et in Daniam, ut constituerat, navigat. Rumorem populi captando audit, Sigvaldium Satrapam virum esse magnæ auctoritatis et libe-

ralitatis. Quem conveniens, carmen in ejus honorem se pepigisse monstrat. Satrapæ, quis esset, quærenti, nomen edit. Satrapa porro: tune poëta es regis Olavi Tryggvii filii? Ita est, ait Hallfrödus, atque audientiam recitandi carminis impetrare velim. Satrapa: quidni nos deceat, quod regi Olavo probatur? Hallfrödus carmen recitavit, et quidem epos brevius non intercalatum. Satrapa, gratiis actis, armillam ei dedit, quatuor uncias pendentem, mansionemque secum obtulit. Hallfrödus: optime, domine! verum in Svethiam mihi iter est, prius tamen in Norvegiam, quam primum vacaverit, redeundum. Satrapa hoc ipsius arbitrio reliquit. Adulta æstate Hallfrödus cum ab austro in Vikiam navigaret, ab oriente sinus naufragium fecit, omnibus rebus amissis; hinc Konungahellam tetendit, ibique aliquamdiu commoratus est. Die quodam Hallfrödo deambulanti vir quidam obvius fit, quem, data redditaque salute, interrogat, quis esset. Ille respondet: Audgisl vocor, homo Gothus, domum uxoremque in Gothia habens; nunc vero ab Anglia veni, atque non desunt mihi pecuniæ; tu vero nonne Hallfrödus Difficilis-poëta es? Illo affirmante, Audgisl: audivi, inquit, te, facto naufragio, cunctarum rerum egenum pecuniæque indigum esse; quare tecum pactum inibo: tu me in Gothiam ad hiemandum comitare, ego vero tibi decem selibras (minas [1]) argenteas pro ductu pendam; ferunt enim, tuum comitatum dignum esse, qui pecuniis conducatur, viam autem minus tutam, ideoque multos viatores ab itinere deterreri.

[1]) *mörk* 96 denarios continebat, itaque non multum a mina argentea differt.

Hallfrödus se hac conditione usurum ostendit. Deinde iter parant, et quinque equos onustos, unum vacuum habentes, orientem versus in Markas (sylvas) tendunt. Vident die quodam hominem obviam sibi tendentem, statura grandem, robore conspicuum. Quis esset, quærentibus, ille: nomen mihi est Önundus, sum Svecus genere, nunc ab oriente adveniens; vos vero, quo cogitatis? Illi dicunt. Önundus loquitur: in orientalem sylvam tendentibus, qui viæ sunt ignari, magnæ obstant difficultates; sunt quoque qui dicant, iter non bene succedere iis, qui pecunias vehant; ipse tamen nihil periculi sentiebam, quod minime mirum; nam cum mihi omnia viarum diverticula nota sint, ubi lustra latronum esse solent, ubique deflexi. Nunc me itineris socium vobis adjungam, si mercedem aliquam mihi præbetis. Audgisl respondet: invitus id facio, nescio enim, qui vir sis. Hallfrödus vero, ut eum reciperent, hortatus est, quod et factum est ea lege, ut viginti quatuor denarios argenti mercedis loco obtineret. Tum Hallfrödus in florentissima ætate erat, statura grandis, robore præstans, animo fortis, et ad res gerendas promtus. Audgisl ætate erat provectus, neque robore valens. Jam tres una iter persequuntur. Hoc die Önundus præibat et sub vesperam ad diversorium aliquod montanum pervenit. Heic Hallfrödus: nunc tria facienda habemus; tu, Önunde! ligna igni alendo nobis advehito, quod magnam securim manu gestas; Audgisl vero ignem accendat, ego aquam adferam. Önundus infit: lignorum largam copiam ad domum advehere, optimum judico; fieri enim potest, ut sæpe huc homines adsint, quibus opus sit lignis. Quod Hallfrödus bene consultum te-

status est. Audgisl loquitur: aquam adferre malo, tu vero ignem parato. Age vero, ait Hallfrödus. Jam itaque eunt, Audgisl aquam petitum, Önundus ligna allatum. Hallfrödus ignem silice excussit, cremiis tardius concipientibus; eorum quoque ad domum reditus nimium tardari videbatur. Hallfrödus zonam solutam collo circumjecerat, ex qua ingens culter aptus (quales eo tempore gestare moris erat) in tergum Hallfrödi, ignem excitandi gratia procumbentis, rejectus erat. Tum Önundus advenit, ligna afferens, quibus celeriter in solum dejectis, quam citissime advolans elata securi Hallfrödum aggreditur, eamque in tergum transversum incutit; quam cum culter exciperet, pulpamentum modo ab utraque dorsi parte, qua cornua securis pertingebant, leviter vulnerabatur. Simul vero atque securim in se ferri Hallfrödus animadvertit, id consilii in re subita arripuit, ut pedes Önundi inferius complecteretur, atque deum invocans fatur: adjuva me nunc, albe Christe! ne iste humani generis hostis (homo sceleratissimus) me opprimat, si tam potens es, quam dominus meus, rex Olavus, prædicat. Et adspirante dei misericordia et fortuna regis Olavi, quæ ei semper aderat, in pedes se sub onere erigere potuit, et Önundum tanta vi terræ allisit, ut deliquium animi pateretur, excussa e manu ejus securi. Hallfrödus parvam qua sub vestibus cinctus erat sicam strinxit; interea Önundus ad se rediit. Hallfrödus quæsivit, an Audgislem interfecisset. Affirmat ille. Hallfrödus illum sica transfodit atque e domo extraxit; clausa deinde fore quieti se dare cogitavit, cujus vix facultas erat, nam Önundus in forem magna vi involavit, Hallfrödo intus renitente,

quod ad lucem usque duravit. Mane Hallfrödus Audgislem juxta puteum occisum reperit, quem, cum cultrum et zonam, res magni pretii, ei detraxisset, humavit; tum intellexit, Önundum latronem fuisse hominesque percuniæ ergo occidere solitum; domus pecunia et omnis generis mercibus referta erat. Tum Hallfrödus hos versus fudit:

Alui gladii possessorem
albis meis opibus, siquidem
nunquam in animo habui
opum cumulatorem decipere.
perfeci, quæcunque potui,
in rem aquilæ alitoris;
sed micantium ensium attritor
dolum intendit vitæ meæ.*)

Deinde Hallfrödus orientem versus per montana perrexit, difficiles vias ob imperitiam locorum nactus; vespere cujusdam diei haud procul ante se in sylva sonum lignicidii exaudivit, quem secutus in locum sylva vacuum incidit, ubi vir aderat ligna cædens; hic magnæ erat

---

*) Ordo: *Ek ól hrafnvíns – hyrjar – njót* [1]) *a*) *á mínu hvíta fé b*), *þar er* [2]) *aldri vildag vœla* [3]) *auðgildanda. Ek vann* [4]), *sem ek kunna, til góðs fyrir gunnmârs* [5]) *grenni, en* [6]) *hjörva fur c*) *skerðir fœrði at mèr* [7]) *fjavrtál.* Extat in Sk. p. 128.

[1]) Sic dedi, sec. C.; *mót* 132 corruptum pro *niót; móts* Sk. [2]) *er* omitt. Sk. mallem *en*, sed. [3]) *vèla*, id. C. S. 132. [4]) *mun* S. [5]) *gunnarsson* F. [6]) *er*, quum, F. S. [7]) *á mik*, id. F. S.

a) *hrafnvín*, sangvis; ejus *hyr*, ignis sangvinis, gladius; *njótr*, qui fruitur, possidet. Önundum putat. *b*) *hvítt fè*, albæ opes, propr. argentum, quemadmodum *rauðr auðr*, aurum. Háttal. str. 37. 42. 46. *c*) *hjörva fur*, ignis ensium, accipi potest de igneis, splendentibus gladiis, fortasse quoque de auro, quo induci solebant bullæ ensium. Similis appellatio occurrit in Eigla c. 67, str. 5, *fura flein stökkvandi*, ubi vide varias doctorum virorum sententias.

staturæ, corpore robusto, barba rubra, nigris superciliis, atrocitatem vultu præferens; qui eum salutans quærit, quis esset. Hallfrödus, nomine edito, requirit, quis esset. Björn vocor, ait ille, ab oriente sylvæ habito; tu apud me hospitare, nam ædes mihi bonæ, in quibus merces tuas tuto conservare possum. Hallfrödus oblata accepit, eumque secutus est, quod locorum situs ei ignotus esset; paullo tamen suspiciosior colonus ipsi videbatur, quippe cujus oculis hirqui diductiores [1]), rapacitatis indices, inesse viderentur. Björn vespere ei magnam hospitalitatem præbuit; ibi multi aderant homines; cum autem cubitum iretur, vir uxorque in clauso dormitorio cubabant, ubi duo erant cubilia, quorum alterum Halfrödo designatum est; cum vero decubuerant, janua dormitorii occlusa fibulàque revincta est. Hallfrödus Björnem hoc magis suspicatus, vestes non exuerat, sed stricto gladio, quem ei rex dederat, ad tabulatum versus pedes situm constitit; eo ipso momento Björn telum in cubile intendit, sed Hallfrödus ei statim letalem ictum inflixit. Materfamilias exclamans surrexit, et domesticorum famulorum opem imploravit, exhortans, ut scelestum hominem, qui innocentem maritum occidisset, comprehenderent. Surgunt illico homines, lumen accensum, dormitorium reclusum. Hallfrödus ad defensionem se parat, sed materfamilias armis ejus vestes injecit, quare captus vinctusque est. Deinde materfamilias, misso ad virum, nomine Ubbium, vulgo Ubbium sacrificulum, nuntio, eum consuluit, quid hoc peregrino homine, qui maritum suum interfecisset, faciendum cen-

1) *fækrókar*, aliis, linea alba ab hirquo ad pupulam transiens.

seret; ille monuit, ut in comitia deportaretur, ibique causa ejus ab universis pagi incolis dijudicaretur. Frater Ubbii nomine fuit Thorar, vir dives, summæque in eo pago auctoritatis; filiæ Thoraris nomen erat Ingibjarga, femina sapiens et indole summe heroica; hanc Audgisl uxorem duxerat. Indicto deinde conventu, aderant Thorar et Ubbius sacrificulus, item Ingibjarga, Thoraris filia; ubi de his rebus agi cœptum, ea sententia stetit, ut facinorosus ille homo peregrinus immolaretur. Tum Ingibjarga: consultumne vobis videtur, hominem in colloquium vocare et rem gestam ex ipsius ore, utpote ex longinquo delati, audire, antequam ad mortem decretoria sententia damnetur? Thorar respondet: apparet nunc, ut semper, te ceteris, qui hic adsunt, sapientiorem esse. Tu illum accedens explora, qui hominum sit, quidve referat. Ea accessit, ubi sedebat Hallfrödus, duriter constrictus, et quis esset, quæsivit. Hallfrödus nomen edit, seque Islandum esse testatur. Tune Hallfrödus Difficilis-poëta es, ait illa. Hic adfirmat. Ingibjarga infit: quid induxit te, hominem christianum et regis Olavi satellitem, ut huc orientem versus in regiones nostras ethnicas solus erraveris? Ille rem omnem ab initio orsus, de itineribus suis retulit, ex quo a Dania hac æstate navigaverat, eo usque donec ad Björnem divertisset. Res autem inter me et Björnem ita cedebant, quemadmodum in confesso est, ut Björnem interficerem, non tamen prius quam fraudem mihi intendisset. Si vero, ut cogito, Ingibjarga es, quam sibi toro junctam Audgisl significaverat, non aliud habeo veritatis testimonium, quam cultrum et zonam, quæ Audgisli interfecto detraxi; alias enim omnes

quas mecum vexi, pecunias, Björn, quo vespere ad eum perveni, custodiendas accepit. Et sane Audgisl frustra me comitem itineris magna mercede conduxit, si neque necem ipsius, neque insidias mihi factas ultus essem. Tum res pretiosas ei monstrans, hos versus pepigit:

Adeo atrociter illatas mihi
injurias sum persecutus, (cecidit
annuli numen in strepitu clypeorum;
amissum desidero vibratorem gladii),
ut illaudatum Audgislicidam
in australi regione, cæsum prælio
reliquerim; sic illatas nobis
ambobus vindicavi injurias. *)

---

*) Ordo: *Hefk rekit a) svá hermila minna harma, (baldr baugs hneg [1]) í gný skjálda; erum svipt [2]) at sárlinns sveigi), at ek lèt lofhnugginn b) Auðgislbana [3]) dauðan unnr í dyn gunnar [4]); ekk [5]) um hefnda svá okkar.*

a) sic levi mutatione dedi; *hnig* A. Sk.; *hing* F.; *hug* 132. Per se quidem *hnigbaldr baugs* satis idonea est viri appellatio, vide infra; sed h. l. in vocandi casu erat accipienda, quod minus appositum mihi videbatur, cum coram femina haec stropha recitata sit. [2]) *svipr* 132.; quid. *svipr*, subita jactura. [3]) *Auðgisls*. Sk.; *Auðgisli hjá*, apud Audg. 132. [4]) *baldr roðins skjaldar*, numen rubefacti clypei, pro *unnr = gunnar*, 132. [5]) *ekkum*, una voce Sk.; *ok*, omisso *um*, 132.

b) *reka*, saepe cum genitivo in notione ulciscendi occurrit, ut adeo quis facile induci queat, ut cum germanico *rächen* comparet; non tamen puto, ne in hoc quidem nexu ultionem proprie significare, sed persequendi, perficiendi, peragendi sensum involvere, ut vulgo in *reka mál*, *reka sök*, peragere, persequi causam, et, cum genitivus adhibeatur, subaudiri *sök* v. *sakir*; hoc concludo ex loco Ljósvetn. S. cap. ult., ubi *reka harmsakir*, peragere causas injuriae, est ulcisci injurias. Neque unquam subst. *reki* ultionem significat

Ingibjarga se perbene nosse dixit, has res Audgisli fuisse, et diligenter quæsivit, quomodo res inter eum et Önundum cessisset. Tum Hallfrödus:

Accensus ira ignium marinorum
dispersorem, canina præditum indole,
raptum in sublime prostravi; cani
admovi manuum robur.
Is missor gladiorum procellæ
post hæc non machinabitur
dolos viris; ego rubefeci
flammam procellæ odinianæ. *)

Ingibjarga loquitur: ista relatio vera, credo, est; nam Björn diu suspicionem habuit. Nunc primo domum meam ibis, deinde vero veracitatem tuam explorabo. Jamque Hallfrödus domum ejus se contulit, duris contusionibus et vinculis exhaustus, eum vero Ingibjarga statim recreandum curavit. Ingibjarga et Thorar, pater ejus, ad villam, quam Björn incoluerat, profecti sunt; hic omnis pecunia, quam Hallfrödus vexerat, quæque Audgisli fuerat, inventa est, quam omnem pecuniam Ingibjarga recepit, nam

---

ut germ. *Hache*, sed pertinax studium in re aliqua perficienda. *b*) *lofhnugginn*, a laude dejectus, vide *sviphnugginn* in Gloss. Njalæ.

*) Ordo: *Ek brá hundgeðjaðum ölna skeiðs elda stökkvi*[1]) *a*) *undir af reiði; ek lagða hendr at hundi. sá sendir Hlakkar skiða èls*[2]) *b*) *stendr eigi*[3]) *síðan á vèlum fyrir þjóð*[4])*; ek raud bál Yggjar èla.*

[1]) *storkvi* Sk. [2]) *jels* B. S. [3]) *enn* F. S.; *ei enn* Sk. [4]) *þjóða* pro *þjóð á*, Sk.

a) *ölun*, piscis; *ölna skeið*, curriculum piscium, mare; ejus *eldr*, aurum, hujus *stökkvir*, vir. *b*) *Hlakkarskið*, lignum Bellonæ, ensis; ejus *jel*, nimbus ensium, densa jaculatio, hujus *sendir* jaculator assiduus, pugnator strenuus; sic verba conjunxi. Verum, eodem fere sensu, jungi potest, *Hlakkar-jels skið*, ligna pugnæ, gladii, nam *Hlakkar jel*, procella Bellonæ, est pugna.

nullos cum Audgisle liberos habebat. Deinde homines in montana mittunt; sicque omnia, quæ dixerat Hallfrödus, vera esse apparuit. Pecunia omnis, quam Önundus corraserat, in tractus habitatos comportata; et, ex suffragio omnium incolarum et legum decreto, Hallfrödo tota ea pecunia, quam tanta virtute paravisset, adjudicata est; quæ ingentem summam efficiebat. Hallfrödus cum Ingibjarga fuit, egregie habitus, brevique populi sermone celebratus. Ingibjarga fuit femina sapiens formaque venusta. Horum animi mutua gratia coaluere; neque multum temporis exiit, donec Hallfrödus nuptias ejus ambiret, seque maritum ei offerret. Cui illa: multa quidem sunt, quæ svadeant; sed in omnibus tamen non provisum, quid conveniat: tu homo baptizatus es & heic loci peregrinus; hic vero dii studiose coluntur, ideoque non ferent homines, te religionem, quam antea professus es, tenere; altera autem parte incertum, an res tibi prospere succedant, si eam religionem deserueris; verum tamen bonum in te rei familiaris præsidium esse confido. Jam patrem meum adi, ut de his rebus cum eo agas. Sic Hallfrödus fecit. Qui de hac re invicem collocuti, bene inter se consenserunt; cujus rei is exitus fuit, ut Hallfrödus Ingibjargam uxorem duceret; et cum ea rem familiarem, magna opum abundantia, administrare cœpit. Hic aliquamdiu commoratus rebus suis bene acquievit.

De Fœreyensibus.

Cap. 176. Etsi vero multæ narrationes et relationes, quæ ad historiam regis Olavi Tryggvii filii non admodum pertinere videantur, in hoc opere descriptæ sunt, tamen non est, quod

quis id miretur; nam quemadmodum flumina, ex diversis orta scaturiginibus, in unum locum deveniunt, eodem modo hæ relationes, a diverso principio repetitæ, in unum finem concurrunt, ut ad res, quibus rex Olavus aut sui interfuerint, viam aperiant; ut insuper ex sequentibus patebit.

Cap. 177. Vir fuit nomine Grimus Kamban, is pater fuit Thorsteinis, qui Skrof cognominatus est; qui pater fuit Thorolfi Smjöris (butyri), patris Audunis Rotinis (Glabrionis), patris Einaris, patris Eyolfi Valgerdiadæ, patris Gudmundi Potentis et Einaris Thveraënsis. Mater Einaris Audunis filii fuit Helga, filia Helgii Macri. Filia Audunis & Helgæ fuit Vigdisa, mater Hallii Albi, patris Ormi, patris Gelleris, patris Ormi, patris Hallii, patris Thorgeiris, patris Thorvardi & Arii, patris Gudmundi episcopi. Grimus Kamban primus omnium Færeyas inhabitasse dicitur. Sed regnante Haraldo Pulcricomo magna hominum multitudo propter ejus dominationem aufugit, quorum pars in Færeyis consederunt ibique habitarunt, pars alias incultas terras quæsiverunt. Auda Djupaudga (profunde s. valde dives), filia Ketilis Flatnefi, in Islandiam trajecit, post casum Thorsteinis Rufi, filii sui; tum Færeyas, ut supra memoratum, adiit, ibique Olavam, Thorsteinis Rufi filiam, elocavit; unde maxima Færeyensium gens, quos Götuskeggos appellant, originem trahit.

Cap. 178. Vir fuit nomine Thorbjörn, cognomine Götuskegg (incola Gatæ), is Austreyæ in Færeyis habitavit; ejus uxor nominata est Gudruna, ex qua duos procreavit filios, quorum natu major Thorlakus, alter Thrandus appellatus est, utrique statura et robore insignes.

Thorlakus in insulis (Færeyis) uxorem duxit, et tamen domi Gatæ apud patrem se continuit. Tum Thorbjörn magno natu erat, et non post multo decessit. A quo cum hæreditas filiis dividenda venisset, uterque villam primariam, Gatam, quæ maximi erat pretii, obtinere voluit; sortibus vero ductis, villa primaria Thrando obtigit. Diviso autem patrimonio, Thorlakus oravit, ut villa primaria sibi concederetur, Thrandus vero prædia superficiaria et res mobiles, quæ Thorlako sorte obvenissent, haberet, nam hic res mobiles cum dote uxoris acceperat. Id noluit Thrandus, et fundum Gatæ compluribus inquilinis mercede quam maxima locavit; ipse vero eadem æstate cum mercatoribus orientem versus in Norvegiam, a mercibus parce instructus, commeavit, ibique in æde solitaria hiemem transegit, ingenii nimium obscuri visus. Sequente æstate cum vectoribus onerariarum austrum versus Haleyram tetendit, quo tempore ibi maxima fuit hominum celebritas mercatusque frequentissimus. Hic Thrandus immodicam pecuniæ vim lucratus est, nulla re alia, nisi sola fraude et calliditate. Inde in Norvegiam delatus magnam bonamque navem onerariam emit, cui ingentes illas pecunias, hac æstate paratas, imposuit, cursumque in Færeyas tenuit, et Gatæ villicationem instituit. Thrandus statura erat grandis, coma barbaque rubris, facie lentiginosa, vultu virili, homo occultus, callidus et ad omnes fraudes acutus; in populum ferox et superbus, cum potentioribus blande loquebatur, subdole cogitabat.

Cap. 179. Hafgrimus nomen erat viro, qui ibidem Færeyis Sudreyæ villam Hofum inhabitavit; is deorum cultor observantissimus fuit

et vir magnæ auctoritatis; idem dimidiæ Færeyarum parti ab Haraldo Grafeldo, tum temporis Norvegiæ rege, præfectus erat. Uxor Hafgrimi nominabatur Gudrida, filia Snæulfi, qui Sandeyæ habitavit. Snæulfus ab Hebudibus erat oriundus, unde ob cædes profugerat; ille jam magno natu erat, ferox tamen et tractatu difficilis. Hafgrimus, gener ejus, vehementis erat ingenii, neque prudens. Tunc temporis in Skufeya duo fratres divites habitabant, quorum alter Brester, alter Beiner nominatus est, Sigmundo nati. Sigmundus, pater eorum, erat frater Thorbjörnis Götuskeggi, patris Thrandi ab Gata. Brester et Breiner opibus valebant, et æquam cum Hafgrimo insularum partem dimidiam tenebant, ei parti ab satrapa Hakono Sigurdi filio præfecti, cujus satellites et cari amici fuerunt. Brester fuit omnium hominum statura maximus et robustissimus, quovis homine, tum quidem Færeyis degente, in pugnando dexterior, aspectu pulcher et in omnibus ludendi exercitiis peritus. Beiner multis rebus fratri similis fuit, nulla vero eum æquiparabat. Inter hos fratres et Thrandum ab Gata semper infrequens fuit consvetudo, etsi arcta cognatione juncti essent.

Cap. 180. Bjarnius nominatus est vir, Svineyæ habitans, vir dives, minus gratiosus, astutiis plenus; is avunculus fuit Thrandi ab Gata. Comitium Færeyensium erat in Straumseya, ibi portus est commodus, quem Thorshafniam (Thoris portum) appellant, quo omnes Færeyenses tendere solebant, comitia frequentaturi. Uterque fratrum, quamvis uxores sibi non adjunxerant, suum quisque filium habuit: filius Beineris nominabatur Thorer, filius Bresteris, Sigmundus, qui duabus hiemi-

bus junior erat. Secundum hæc ortæ sunt inter fratres Skufeyenses et Hafgrimum controversiæ, de quibus agit historia Færeyensium; quæ lites eo tandem loci venerunt, ut Hafgrimus Thrandum ab Gata et Bjarnium Svineyensem largitione in suas partes traheret. Fratres perpetuam inter se gratiam et concordiam coluerunt et Skufeyæ una habitarunt, ut supra demonstratum est; aliam villam in Dimune majore habuerunt, sed pecora, boves et oves, in Dimune minore, hæc enim insula non fuit habitata. Aliquando, cum Brester et Beiner Dimune in villa sua agerent, domum ire parabant et Dimunem minorem adire cogitarunt, oves ad cultrum petituri, quod et fecerunt. Adolescentuli, Sigmundus et Thorer, orarunt, ut cum iis proficisci liceret; illi concesserunt. Tunc Sigmundus erat annorum novem, et pro ea ætate magna statura, bonæque spei adolescens. Thorer erat undecennis. Fratres, uti solebant, panopliam secum habuere; de quorum profectione non proditum est, prius quam redeuntes ad majorem insulam ferme pervenissent. Hic tres naves adversum se tendere conspiciunt, quarum singulæ duodecim viris panoplia armatis instructæ erant; præfectos navium agnoverunt, nempe Hafgrimum de Sudreya, Thrandum de Gata et Bjarnium Svineyensem. Hi naves ac insulam intervenientes, fratres ab adeundo portu intercluserunt, quare illi navem alicubi in saxosum littus propulerunt, ubi in rupem quandam præruptam, supra sitam, cum armis enitebantur, puerosque juxta se collocarunt; petra superne erat spatiosa egregiumque propugnaculum præbuit. Jam Hafgrimus ac sui ad terram appellunt, naves in littus subducunt, ad petram deinde accur-

runt; Hafgrimus et Bjarnius Svineyensis fratres statim impugnant, illis se fortiter tutantibus. Brester petram defendebat, quà parte oppugnatu erat facilior, re tamen inter eos tardiore successu gesta. Thrandus cum suis in littore ambulabat, neque impugnationi libenter interfuit. Tum Hafgrimus: id tecum, Thrande! pactum inii, ut opem mihi ferres, et ideo tibi pecunias dedi. Thrandus reponit: tu tanto ignavior es, qui duos tantum homines debellare nequeas, quamvis bis duodecim viris stipatus; atque ea tibi est consvetudo, ut alios semper pro te objicias [1]), ipse vero nullus accedere audes, sicubi vita periclitandum est; tuum nunc est, si qua tibi virtus inest, primum adversus Bresterem in rupem eniti, ceteris te sequentibus; alioquin te ad nullam rem utilem esse censeo. Thrandus eum cummaxime exhortatur. Cujus dictis Hafgrimus ira incensus, in rupem evolat ad Bresterem, eumque hasta transfodit. Brester, se letali vulnere petisentiens, ipse se ulcisci vult; itaque in telum se ruens, eo usque progreditur, donec Hafgrimum gladio assequeretur, cujus sinistram axillam ita feriit, ut totum latus ad imum abscinderet, Hafgrimusque exanimis e rupe delaberetur, superque illum Brester. Jam Beinerem impugnant, ille vero strenue se tutatur, eo tamen exitu, ut caderet vitamque poneret. Sic dicunt, Bresterem quatuor, Beinerem duos viros, antequam occubuerint, necasse. Deinceps Thrandus pueros, Sigmundum et Thorerem, interfici jussit. Bjarnius reponit: veto interfici. Id eo valet, Thrandus inquit, quod, si vita donantur, tui, Bjarni! et plerorumque

[1]) *at skotspæni*, scopi loco, telis feriendos, add. B. C.

hominum, qui hic adsunt, occisores erunt. Non eo minus interfici veto, ait Bjarnius. Hic Thrandus: hoc quoque minime serio locutus sum, sed ut tentarem vos, quam in illos benevoli sitis; toto potius animo cupio his pueris satisfacere, quod huic profectioni interfuerim; eos nutriam et educabo, donec adoleverint; etenim cognati mei sunt. Pueri in saxea planitie considentes, hæc eventa intuebantur. Cum vero fratres cecidissent, Thorer flere cœpit. Sigmundus infit: ne ploremus, cognate! hanc potius diem memoria teneamus. His gestis discessum est. Thrandus pueros secum domum Gatam deduxit, totam vero ditionem ac possessiones, quæ Bresteri et Beineri fuerant, occupavit, similiter et eam insularum partem, cui rex Haraldus Gunnhildiades Hafgrimum præfecerat; et præterea Thrandus filium Hafgrimi, nomine Össurem, decennem, enutrivit. Sic Thrandus omnibus Færeyis præfuit, neque quisquam ei contra dicere ausus est.

Cap. 181. Hac eadem æstate, qua fratres occubuerunt, navis Norvegica in portum Færeyensem, Thorshafniam, appulit; cujus præfectus erat vir Vikensis, nomine Hrafn, qui Holmgardipeta nominatus est, quod Orientem versus in Gardarikiam navigaverat. Hrafn erat vir dives et villam Tunsbergi habuit. Cum vero mercatores ad abitum essent parati, advenit mane quodam Thrandus de Gata, celoce vectus; hic gubernatorem seducit, seque duo servos novitios veno habere ostendit. Quos Hrafn non prius emturum, quam vidisset, testatus est. Tum Thrandus duos pueros produxit, capite raso, albis sagis indutos, aspectu pulcro, facie præ dolore tumida. Tum Hrafn infit: estne, Thrande! ut hi pueri sint gnati Breste-

ris et Beineris, quos non ita pridem occidistis. Certo, Thrandus inquit, cogito ita esse. Nequaquam, ait Hrafn, ita in meam potestatem venient, ut eos pecunia emam. Thrandus: remittamus itaque sic: hic quinque sunt minæ argenteæ, quas tibi dabo, ut eos tecum avehas, et certo provideas, fore, ut nunquam in Færeyas postea veniant. Hæc dicens Thrandus argentum gremio gubernatoris infundit, legit et numerat ei. Pulcra Hrafni pecunia visa; is fatur: ego vero pecuniam accipiam, et pueros, si vis, accipiam, neque remittam, neque ipse reveham; sed si eos vendidero, aliove modo fiat, ut sub mea potestate non sint, in me recipere non possum, si redibunt. Cum pactum hac ratione inter eos convenisset, Thrandus abiit, Hrafn pueros secum in Norvegiam avehit, ubi cum eo Tunsbergi bene habiti hiemem transegerunt. Vere sequenti Hrafn iter in mare orientale (balthicum) parat; pueros-que interrogat, quomodo sorte sua sint contenti. Sigmundus ait: bene quidem, pro eo, quando in potestate Thrandi fuimus. An pactum conventum inter me et Thrandum nostis? ait Hrafn. Novimus, ait Sigmundus. Hrafn: rationi convenire puto, vos hinc per me liberos abire, quocunque volueritis; pecuniam quoque, quam ab Thrando accepi, ad vitam sustentandam habetote, quippe qui in ignota terra nimium quam auxilii inopes sitis; atque equidem vos ob eam causam maxime recepi, quod intelligere mihi visus sum, quam graviter in vos Thrandus esset consulturus, si ibi sub ejus potestate fuissetis. Sigmundus, gratiis de beneficio actis, ejus in ipsos liberalitatem laudat, quem in locum res suæ tum deductæ sint. Hrafn hac æstate orientem versus Gardos peti-

vit; adolescentes vero in Vikia duas hiemes, ex quo a Hrafne libertate donati erant, commorati sunt; quo tempore pecunia, quam ipsis dederat, in victum consumta erat. Tum Sigmundus erat duodecim annorum, Thorer quatuordecim.

Cap. 182. Æstate, qua Brester et Beiner in Færeyis occisi erant, et adolescentes in Norvegiam venerunt, Haraldus Grafeldus regno exutus est, Hakonus vero satrapes maximæ imperii Norvegici parti ab Haraldo Gormida, rege Danorum, præfectus est, frequenterque in Thrandheimo se continebat. Cum vero cognati Sigmundus et Thorer inopia laborarent, vitæque tuendæ subsidiis in Vikia carerent, septemtrionem versus, Satrapam conventum, proficisci cupiunt, a quo potissimum aliquid auxilii exspectabant, quod patres sui illi apparuerant carique amici fuerant. Deinde iter a Vikia ingrediuntur, primo in Upplanda, et inde ab orientali latere Heidmarkiæ circumflectentes, boream versus ad montem Dofricum sub ipsam hiemem veniunt, duoque una montem ingressi, sævas tempestates experti sunt; ob locorum imperitiam viâ aberrarunt; mox itinera nivibus ingestis invia facta; et jam sine alimento multos dies sub dio agunt, et res tandem eo venit, ut Thorer succumberet neque ire valeret, quare Sigmundum monuit, ut sibi ipse consuleret, et ex monte evadere conaretur. Sigmundus respondet: nunquam fiet, ut ita disjungamur; aut ambo ad tractus habitatos deveniemus, aut moriemur. Tanto autem Sigmundus, quamvis junior, robustior erat, ut Thorerem tergo suo impositum diu portaret; et ipse tandem admodum fatigari cœpit. Die vero quodam solum sub pedibus declivius fieri

sentientes, itinere paullo faciliore utuntur; sub vesperam in valliculam deveniunt, ubi fumi odore animadverso parvam villam reperiunt, quam ingressi cœnaculum nanciscuntur, ubi duæ feminæ considebant, altera ætate provecta, altera tenera ætate, utraque aspectu pulcra; quæ, communicata salute, udas vestes illis detrahebant siccasque dederunt; deinde mensam apponunt cibisque onerant; post in cubile molliter substratum deducuntur; mater familias significavit, nolle se, ipsos in conspectum heri, domum venientis, prodire, quippe qui asperioris ingenii esset. Sigmundus ac Thorer somno excitati sunt adventu viri ingredientis, magnæ staturæ, cervina pelle induti, feram tergo gestantis, qui vultu ad torvitatem composito interrogavit, quid hominum adesset. Mater familias ostendit, duos adesse adolescentes, qui in montanis diu sub dio egissent: hi præ inopia cibi et frigore adeo erant fatigati, ut pæne essent viribus deserti; neque in animum potui indúcere pati, ut tantæ spei juvenes heic sub sepibus nostris morerentur, quando huc delati erant. Paterfamilias loquitur: atqui jam pridem præmonui te, nos ita per te facillime prodi, si homines recepisses; tamen rem eo loco esse patitur; jamque noctem somno ducunt. Mane sequentis diei paterfamilias juvenes adit et loquitur: velle mihi mulieres videntur, ut vos hic hodie commoremini et requiescatis. Illi se vehementer velle profitebantur. Paterfamilias se Ulfum vocari dixit, uxorem vero Ragnhildam, filiamque Thuridam, quæ et vultu erat spectabili, indolisque heroicæ. Herus hoc die domo profectus, vespere rediit, seque Sigmundo et Thoreri hilarissimum præbuit; diligenter inquirebat, quinam essent, unde venissent, quove

cogitarent. Sigmundus, quæ interrogavit, accurate exposuit. Altero mane Ulfus eos adiens: ita, inquit, res se habet, quod mihi de itineribus vestris retulistis, unde intelligo vos transversos a loco destinato viaque publica actos; hinc vero in omnes partes ad tractus habitatos longinquum iter est; quare, svadente matrefamilias, consultum duco, ut heic hiemem transigatis, nisi aliud vobis utilius videatur; sed faciles et promtos matrifamilias vos præbeatis, velim, si quid ope vestra in rei familiaris administratione indiguerit, nam ipse quotidie domo abero, victum familiæ paraturus. Illi gratias ei habuerunt, et quod obtulisset, lætos accipere se dixerunt. Hiemem ibi peregerunt, liberaliter habiti. Brevi amoris affectus inter Sigmundum et filiam familias coalescens apparuit; hi sæpiuscule sermones conserebant, quod pater et mater minime prohibuerunt. Vere, sub initium æstatis, Ulfus eos adfatus: Jam vos, inquit, hiemem heic transegistis, vosque nobis bene probavistis; nunc vobis per me licebit hic diutius manere, atque exspectare, ecquid virium incrementa ceperitis, nisi alia ratio vobis magis arrideat; id vero vos præmonitos velim, ut ne curiosi neque ambulatores sitis, siquando domo abfuero; maxima tamen cautio est, ne quando sylvam a borea ædium sitam ingrediamini. Illi lubenter oblata acceptabant. Paterfamilias sæpe hac æstate domi se continebat, eosque armorum tractandorum artem, jaculandi nandique peritiam, ceterasque artes edocuit; quem mox in omnibus artibus excellentissimum esse intelligebant; fuit quoque non minus proceritate quam robore conspicuus. Cum vero cognati ibi tres hiemes egerant, die quodam æstatis, cum Ulfus domo ab-

esset, Sigmundus Thoreri loquitur: magnopere scire gestio, quid ita in hac sylva, ab septentrione villæ sita, fuerit, ut eo ire non liceat nobis. Thorer id se scrutari nolle ostendit, quod nutricius suus tam severe vetuisset. Auctore tamen Sigmundo in sylvam eunt. Sigmundus parvam securim lignariam, brevi manubrio instructam, dextra gestabat; in locum amœnum, frutice vacuum, venientes, magnum audiunt in sylva fragorem, ex qua mox ingens ursus sylvestris [1]) prosiluit, valde ferox, magnaque vehementia et impetu ruens. Adolescentes statim in semitam domum ferentem se proripiunt, urso eos insectante; semita paulo angustior erat; cum vero ursus semitam ingressus esset, Sigmundus subito conversus, ursum adoritur, et utraque manu securim inter aures feræ incutit tanta vi, ut ferrum ad malleum usque descenderet, feraque exanimis corrueret; deinde ursum erigunt, domumque cursu petunt; quos Ulfus obviam sibi factos, torvo vultu quærit, ubi fuissent. Sigmundus respondet: haud bene evenit, altor! quod jussa tua violavimus; grandis ursus nos hodie insectatus est. Ulfus fatur: hoc metuens in viam me dedi, ut vos quærerem; nunc vero rem melius opinione cecidisse judico, si vobis non nocuit; atque optarim, ut vos non sæpe lædat, ea tamen fera est, cum qua congredi maxime timuerim; periculum vero ejus conveniendi nunc faciam. Tum per semitam excurrit in sylvam, atque statim ursum conspicit, et vivum cogitavit; magnam hastam dextra gestavit; adolescentes eum cursim subsequebantur. Cum vero vir ursum conspiceret, cursum accelera-

[1]) *hiðbjörn*, S. ursus lustro suo egressus.

vit, et, ut advenit, utraque manu hastam in eum dirigit, qui, ut expectare par erat, cecidit; tum Ulfus animadvertit ursum ante fuisse mortuum, et fatur: mene cavillamini? quis vero vestrum feram interemit? Thorer: hujus facinoris nulla pars fui, Sigmundus vero ursum interfecit securi tua lignaria. Paterfamilias loquitur: hoc magnæ virtutis facinus est; quod multa a te, Sigmunde! præclare gesta consequentur. Ex hoc deinceps tempore Ulfus Sigmundum in honore multo majore quam antea habuit. Ibi omnino sex hiemes cum illo fuerunt, tum Sigmundus erat annorum octodecim, Thorer viginti; attamen Sigmundus hominum, qui tum in Norvegia floruerunt, statura, omnibus corporis animique dotibus, et artium peritia celeberrimus evaserat.

Cap. 183. Tum Sigmundus Ulfo nutricio suo indicat, velle se inde discedere; quod Ulfus in ipsorum potestate fore dixit, (addens:) siquidem expedit vos in casula mea nonnihil maturuisse; tum vestes iis conficiendas, satisque viatici apparandum curavit. Ulfus eos septentrionem versus per montem Dofricum comitatus est eo usque, donec in conspectu Orkadalus esset. Jam domo vos deduxi (inquit), ut filios meos, atque hinc revertar; ante vero quam digrediamur, residamus, nunc enim sic se res habet, ut haud leve mihi desiderium facessat discessus vester, verum tamen feminis gravius. Scire nunc cupio, quos educandos susceperim, ita ut mihi genus vestrum et natales, quibusque fatis, antequam ad me venistis, usi sitis, indicetis. Illi genus suum natalesque accurate indicant, et quomodo ex possessione et patria expulsi sint; nunc vero, alumne! volumus (ait Sigmundus), ut nobis

vitam tuam exponas, quive hominum sis. Ille contra: id non admodum memorabile est; primo omnium dicendum est, me vero nomine Thorkelem vocari; patri meo nomen erat Steingrimus, qui vir fuit dives, Heidmarkia in Upplandis habitans; apud patrem educatus, jam puer statura magnus et robustus dicebar; pater me mature in celeritatibus et jaculandi peritia exercuit, brevique me destinata certa manu collineandi haud insuetum præbui; quam primum per ætatem viresque licuit, in eo studium collocavi, ut quavis hieme, cum aquæ glacie consisterent, geluque per sudum incideret, in sylvis cum sodalibus meis venandi gratia excubarem, unde cognomen Thorkelis Thurrafrostis (Sicci-geli) mihi adhæsit. In Heidmarkia haud procul a villa patris mei vir potens dītioni præfuit, nomine Thoralfus; is præfectus erat regum Upplandensium. Thoralfus uxorem sibi adjunxerat, Idunnam, ex qua filiam susceperat Ragnhildam, formæ venustate præstantissimam. Hanc uxorem ambii, Thoralfus vero eam viro nobiliori loco nato locare voluit. Post paulo, cum Thoralfus domo abesset, uno comitatus viro noctu Ragnhildam rapui domumque patris advexi; qui cum me secum habere nollet, nisi raptam reddidissem, in societatem assumtis undecim æqualibus, in sylvas me contuli. Thoralfus, cum domum reversus rem comperisset, primum patrem meum adiit, centum viris stipatus, singulasque ædes inquisivit. Deinde in sylvam exeunt, copiasque ad nos quærendos in manipulos dividunt, quorum Thoralfus cum triginta viris in nos incidens, infestis armis nos impetivit, nostris se strenue defendentibus, eo tandem exitu, ut ex Thoralfianis duodecim, ex nostris

septem caderent; ego vero ac quatuor in sylvam confugimus, omnes vulnerati. Thoralfus letali vulnere saucius erat, domumque a suis relatus, Ragnhildaque filia sua reducta; Thoralfus, cum in tractus habitatos venerat, vulneribus exspiravit, ego vero ac socii apud patrem clam curati. Reges Upplandenses, indictis per sagittam comitiis, cædem Thoralfi, præfecti sui, persequebantur, meque exilio multarunt, ceteri vero quatuor sodales mei multa pecuniaria cædem expiarunt. Pater, cum me domi suæ tueri nequiret, in antrum quoddam me ablegavit, ubi aliquamdiu solus tædiosam vitam traxi; deinde noctu villam, quæ Thoralfo fuerat, adiens, Ragnhildam denuo raptam abstuli, passimque sylvas perreptavi, latibulum quærens; tandem huc deveni, ubi octodecim hiemes habitavi, quæ ætas est Thuridæ, filiæ meæ. Sigmundus infit: memorabilis tua, ut exspectavi, relatio est; nunc vero tibi significare volo, me pejus, quam par fuit, educationem et beneficia a te accepta rependisse; filia tua mihi, ante quam digressi sumus, significavit, se partum utero ferre, cujus me patrem nuncupat; qua de causa maxime hinc discessi, quod nollem, dissidii inter nos caussam existere; atque oro te, alumne! ne cui alii viro, quam mihi, eam paciscaris; hanc enim, neque aliam ullam, uxorem ducam. Thorkell respondet: jam pridem novi, amorem mutuum inter vos intercedere, quod equidem prohibere nolui, filia enim mea digniorem virum non nanciscetur; id vero oratum te velim, Sigmunde! si prospero rerum successu heic in Norvegia apud viros principes usus fueris, ut me cum tribulibus meis in gratiam reducas, nam tædium me cepit in his de-

sertis vivendi. Sigmundus promisit, se hoc effecturum, si fas esset. Post hæc diversi discesserunt, Thorkell domum reversus est, Sigmundus vero ac Thorer iter suum perrexerunt, donec Hakonum satrapam in Thrandheimo convenerunt. Salutantes satrapa comiter accepit, et qui essent interrogavit. Sigmundus, editis ipsorum nominibus: sum, inquit, filius Bresteris, hic vero Beineris, qui aliquamdiu tui satellites Færeyisque præfecti fuerunt, ibique novem abhinc annis occisi sunt. Nos cognati coalumnique ideo te adiimus, domine! ut tibi nomina daremus, dignos honores et beneficia, propter patres nostros, a te exspectantes. Hakonus Satrapa respondet: nescio quam vera sint, quæ refers; audivi enim fratres duos teneros habuisse gnatos; non vero satis constat rumor, fuerintne cum patribus suis interfecti, an alio modo in Insulis iis prospectum sit; sunt qui dicant, huc in Norvegiam transvectos, se aliquantisper in Vikia continuisse, post nullam de iis famam circumferri. Atqui equidem cibum vobis non invideo; tu vero ipse natales tuos, editis aliquibus virtutis documentis, probes oportet, antequam credam, te filium esse Bresteris, amici mei; neque tamen ei ab statura et vultu absimilis es. Satrapa illis sedem apud speculatores suos designavit; ibique hiemem peregerunt; procedente tempore satrapa, intercedentibus filiis, Sveine et Eiriko satrapa, eos lautiore victu mactavit. Sequenti æstate Sigmundus ac Thorer piraticam exercuere, autumno opibus prædaque onusti redierunt; secundam deinde hiemem apud Satrapam egerunt, liberaliter habiti. Sigmundus ad intimam satrapæ gratiam pervenit, ejusque satel-

les factus est. Insequenti æstate Satrapa in comitiis generalibus Thorkelem Thurrafrostem (siccum gelu), rogatu Sigmundi, insontem declaravit, eumque a montanis reducendum curavit; hieme proxime sequenti Thorkell apud Satrapam fuit, uxorque ejus ac filia, et infans Sigmundi et Thoræ præcedente hieme nata, quæ puella Thora nominata est. Deinde Hakonus Satrapa Thorkeli Thurrafrosti præfecturam Orkadalensem dedit. Sic quatuor anni exiere, ut Sigmundus apud Satrapam quavis hieme ageret, summo honore habitus, quavis vero æstate prædatum exiens, opes et famam, audacter in pugnam progrediendo multasque res præclare gerendo, sibi conciliaret, quemadmodum in vita ejus memoriæ proditum est. Idem artis imperatoriæ peritissimus, in præliis et oppugnationibus strenuissimus et celerrimus; id persæpe fecit, cum dimicaret, id quod pauci prævidere potuerunt, etsi fortes præliatores adversum starent, ut gladio clypeoque in sublime jactis, clypeum dextra, gladium sinistra prehenderet et dimicaret, utraque enim manu æque commode in præliando utebatur; hinc Sigmundus Bresteris filius robore et artium peritia cum rege Olavo vulgo comparari solet, ut qui omnibus naturæ artisque bonis plerosque Norvegos, tunc temporis florentes, superaverit.

Cap. 184. Sigmundus Bresteris filius, cum quatuor hiemes apud Hakonum Satrapam egisset, ei significavit, se Færeyas adire velle, cædem patris vindicaturum, rogitans, ut satrapa se ad hanc profectionem sublevaret tam apparatu quam consiliis, quibus id iter institueret. Satrapa respondet: equidem sane in rem tuam consulam; ista vero profectio non tam longinqua quam difficilis est, eo enim longis navibus

haud facile cursum tenueris ob tempestates et æstus marinos, qui persæpe ibi loci tam rapidi sunt, ut naves mercatoriæ vix consistere queant; eam vero maxime rationem ineundam duco, ut ad profectionem duas naves mercatorias faciendas curem, tu vero ipse, quos strenuissimos poteris, viros allegas [1]). Sigmundus ei pro consiliis et bonis promissis gratias persolvit; hoc factum est adulta jam hieme. Satrapa jussit, ut constructio navium illico inchoaretur. Vere procedente, Sigmundus iter parare incepit, viros singulaque armamenta quam firmissima comparavit, quinquagenos fortes viros cuique navi mercatoriæ designans. Satrapa, cum naves in mare deducerentur profectioque omnino parata esset, inspecturus adfuit; tum ille: nunc mihi tua, Sigmunde! profectio, quam optime fieri licet, instructa esse videtur; sed hic cum viro adeo robusto funis reciprocandus, qualis est Thrandus de Gata, ut hoc unum vix suffecturum putem; nunc scire aveo, Sigmunde! quam tu religionem observes. Sigmundus paulo tardius reponit: non adeo memorabile est, domine! inquit; nulla enim alia mihi religio est, quam quod fortunæ meæ et victricibus armis confido, id quod bene mihi successit, dum in bellis versatus sum. Satrapa fatur: non ita esse licet; inde auxilium petas oportet, ubi omnem fiduciam repositam habeo, nempe ab Thorgerda Hölgabruda [2]), quam conventum adeamus. Tum fanum adeunt; satrapa ante simulacrum ejus toto corpore humi se prostravit, ibique diu jacuit; simula-

[1]) ex contubernalibus tuis, quorum in pugnando strenuitatem et rei nauticæ peritiam prius spectatam habeas, add. B. C. [2]) i. e. Hölgii regis filia, vide Njal. cap. 89. 114.

crum valde ornatum erat, armillamque crassam in brachio habuit. Satrapa surgens annulum apprehendit brachioque (deæ) detrahere conatur. Visa vero Sigmundo est carpum adducere. Satrapa fatur: haud propitiam tibi se præbet, Sigmunde! nescioque, an te cum ea in gratiam reducere queam; hujus vero rei indicium est, si, quem brachio gestat, annulum nobiscum communicare velit. Tum satrapa, multo sumto argento et in scamno apposito, ipse denuo se in pavimentum prostravit. Sigmundus animadvertit, eum in lacrimas effundi; cum vero surrexisset, annulum apprehendit, quem illa manu dimisit. Satrapa annulum Sigmundo tradidit et fatus est: hunc tibi annulum do, secundæ fortunæ pignus, quem tu nunquam abalienato, quod et Sigmundus pollicitus est. Post hæc Sigmundus ad naves et suos reversus, in altum provehitur, alteram navem mercatoriam Sigmundo regente, alteram Thorere cognato suo. Antequam ex Norvegia solvissent, omnia nova ex Færeyis resciverant, Össurem Hafgrimi filium, quem Thrandus educaverat, in robustum virum adolevisse, patrimonium suum Sudreyam recuperasse, dimidiamque Færeyarum partem ex æquo cum Thrando administrandam suscepisse; eundem præterea, auctore Thrando, omnes possessiones, quæ Bresteri et Beineri fuerant, occupasse, dictitante Thrando, eam cædis paternæ multam fore. Össur villam Sudreyæ et Dimune habuit, tertiam Skufeyæ, ubi plurimum egit, ibique altum et firmum munimentum circa villam excitaverat; nam Færeyenses audiverant, Sigmundum Bresteris filium rerum gestarum gloria inclaruisse.

Cap. 185. Nunc de Sigmundo ac suis dicendum; hi commodis ventis usi sunt, donec

haud procul a Færeyis abessent; qui vero locorum erant gnari, eos proxime Austreyam esse dicebant. Sigmundus id quoque se potissimum velle testatus est, ut Thrandum in potestatem suam redigeret. Paulo post vehementiore tempestate adversum oborta, æstu maritimo et vi tempestatis ab insulis repulsi, navesque, quæ hucusque conjunctim iter fecerant, disjectæ sunt; cum vero satis adesset copiarum, strenuique viri nave Sigmundi veherentur, Svineyam tenuerunt, quo cum prima luce appulissent, ad villam quadraginta viri escendunt, decem reliquis navem custodientibus, effractoque cubiculo, ubi Bjarnius dormiebat, ipsum comprehensum educunt. Bjarnius quæsivit, quis cohorti præesset tam furiose ruenti? Sigmundus nomen suum indicat. Bjarnius fatur: scio quidem, te crimina adversus me intentaturum, quod congressui, in quo pater et patruus tuus de medio sublati sunt, interfuerim; in hos autem, qui tibi tum nihil nisi malum exhibuerunt, idque consilii in medium protulerunt, ut vos ambo, tu ac Thorer, interficeremini, sane quam crudelis eris, qui mihi tantam vim inferas; an vero recordaris, quibus tum verbis usus sim? Sigmundus respondet: probe memini, atque nunc ejus rei fructum feres, nam vitæ tuæ membrisque parcetur, cetera vero omnia mei solius arbitrii sunto. Bjarnius annuit. Itaque tu nunc statim nos comitare, ait Sigmundus, atque iter nobis ad Austreyam monstrato. Bjarnius respondet; eo nullo modo pervenire licet, vento hac cœli plaga spirante. Tu itaque iter nobis ad Skufeyam monstrato, si Össur ibi est. Hoc fiet, uti vis, ait Bjarnius, quanquam in ratione esse non puto, eum ibi adfuturum. Traditis a Bjarnio vi-

ris, quorum facultas erat, prima nocte profecti, sub diluculum Skufeyam perveniunt. Skufeyæ situs talis est, ut unica tantum semita adiri possit, quam si viginti viri tueantur, nunquam ita multi insulam adeunt, ut expugnari queat. Sigmundus cum copiis statim in insulam escendit, nullis defensoribus aditum tenentibus; cum vero ad villam pervenissent, jam Össur cum triginta viris munimentum occupaverat. Össur quæsivit, quinam essent hi viri, qui advenissent. Sigmundus suum patrisque nomen edidit. Tum Össur: putabis, credo, te non sine causa huc adfuisse; pacificationem tibi ex mea parte offerre volo, ea lege, ut optimi viri, qui hic in insulis sunt, de omnibus rebus nostris decidant. Nulla confiet pacificatio, ait Sigmundus, nisi mei ipsius arbitrio rem permittas. Össur id extemplo pernegavit. Sigmundus, suis munimentum oppugnare jussis, ipse solus secundum munimentum progrediens, pone ædes secessit, quod munimentum tenentes non animadverterunt; accessit locum quendam, ubi agger munimenti exiguam ruinam dederat, quæ aditum aliquanto faciliorem, quam alibi, præbuit. Sigmundus manu gestabat securim inargentatam, cornubus extantibus reduncis, capite galeam, gladio cinctus; is a munimento paululum abscessit, deinde curriculo advolans, tam alte in aggerem evasit, ut cornu securis marginem apprehendere posset, quo facto manubrium manibus legendo in summum evasit. Quod unus ex Össurianis conspicatus, subito ad eum conversus, gladium ei intendit; Sigmundus ictum repulit, et cornu securis adverso corpori impegit, ita ut telum visceribus conderetur homoque exanimis in tergum relaberetur. Quo viso, Össur

adversus Sigmundum decurrit eumque gladio petit; qui, ictu repercusso, Össuri securim incutit, ita ut dextra præcisa gladius deflueret, mox obverso hominis corpori alterum ictum in cava viscera penetrantem infligit, quo Össur exanimus humi cecidit; tum hostibus magno numero supervenientibus, Sigmundus ex munimento aversus resiliit seque pedibus excepit. Deinde munimentum tenentibus conditiones obtulit, ut dederent sese et ipsius arbitrio res suas permitterent, alioquin se munimentum incensurum et demoliturum minatus. Illi vero ei sese dediderunt.

Cap. 186. Id de Thorere Beineris filio dicendum, quod adversa tempestate ad Sudreyam delatus, tandem, occiso Össure, ad Sigmundum pervenit. Post hæc, hominibus intercedentibus, factum est, ut, pactis inter Sigmundum et Thrandum induciis, conventus pacificatorius Straumseyæ condiceretur; quo veniens Thrandus se hilarissimum præbuit; ibidem magna aderat hominum frequentia. Cum vero de pacificatione inter eos cœptum esset agi, Thrandus infit: haudquaquam conveniens fuit, quod congressui, in quo pater tuus, Sigmunde cognate! occisus est, interfui; quam ob rem eam tibi satisfactionem concedam, quæ tuum honorem quam maxime augeat, cuique tu optime acquiescas, ut nulla interposita conditione res nostras solus decidas, excepto, quod mihi hic in insulis manere, et præfecturam, quam habeo, retinere liceat. Sigmundus respondet: duæ ex mea parte conditiones præsto sunt; altera, ut nos ambo, ego et Thrandus, septemtrionem versus in Norvegiam ad Hakonum satrapam profecti, ejus arbitrio rem nostram compromittamus; altera, ut nulli recon-

ciliemur; scilicet convenientissimum judico, fortunæ permittere, uter nostrum superior discessurus sit, si res ad hostilia verterit. Thrandus perquam invitus fecit, ut Hakonum satrapam adiret; quoniam vero Sigmundus se inexorabilem præbuit, Thrandus, alteram conditionem pejorem judicans, ad id, quod Sigmundus, obtulerat, descendit, ut nempe ambo proximi anni æstate in Norvegiam trajicerent. Sequenti hieme res Færeyis quietæ. Sigmundus Skufeyæ in villa sua, summo splendore domesticaque celebritate, habitavit. Sequenti vero æstate navem paravit; item Thrandus magnam bonamque navem onerariam instruxit, utrisque de alterius apparatu gnaris. Sigmundus, ut paratus erat, navem solvit, secundos ventos nactus; satrapam conveniens, de transactione inter se et Thrandum exponit. Satrapa reponit: haud consimili astutia hac in re tu et Thrandus usi estis; neque vero simile duco, eum cito ad me venturum, siquidem te non comitatus est. Procedente autem æstate, homines ex Færeyis advenientes afferebant, Thrandum vela in altum dedisse, adversa vero tempestate rejectum, læsamque navem ejus, ita ut trajiciendo mari inutilis reddita esset. Tum Sigmundus a satrapa petiit, ut pacis inter se et Thrandum conditiones pronuntiaret, etsi ipse non adesset. Satrapa ita facturum se ostendit: indico, inquit, bina hominum pretia, quæ Thrandus pro cæde fratrum pendito, tertium pro insidiis in te et Thorerem factis, quos Thrandus interfici jussit; idem quartum hominis pretium ob id pendito, quod vos cognatos in servitutem vendidit; tu quoque dimidiam insularum partem, cui patrem tuum præfeceram, tuæ potestati administrandam subjicito,

alteram dimidiam insularum partem fisco meo adjudico, eo quod Hafgrimus et Thrandus Bresterem et Beinerem, aulicos meos, interfecerunt. Hafgrimus jure cæsus æstimabitur ob cædem Bresteris et violentam in homines innocentes aggressionem. Neque cædes Össuris pecunia expiator, ob injuriam, qua possessionem tuam insedit ibique cæsus est; hanc vero pecuniam Thrandus eadem æstate tibi persolvito. Hæc itaque mea sententia est; tu vero multam pecuniariam, prout tibi videbitur, inter te et Thorerem partire. Sigmundus satrapæ gratias pro decisione habuit, et apud eum hiemem peregit; insequenti autem vere in Færeyas rediit, Thrandoque conventum Straumseyæ indixit. Cum vero congressi essent, Sigmundus eum frustratæ in Norvegiam profectionis increpuit; tum ei sententiam a satrapa dictam exposuit, jussitque ut aut hanc compositionem acceptaret, aut reconciliationi renuntiaret. Thrandus etiam nunc Sigmundum obsecravit, ut ipse res inter ipsos intercedentes decideret; quod cum Sigmundum nolle animadverteret, satius duxit, decisionem satrapæ acceptare, quam gratia non reconciliata discedere; tempus tamen solvendæ pecuniæ longius, quam constituerat satrapa, expetivit. Concessit Sigmundus, precibus hominum victus, ut hæc pecunia trinis vernis [1]) solveretur. His actis, verbo reconciliati, digrediuntur. Össur Hafgrimi filius parvum natu filium reliquerat, nomine Leifum; hunc Thrandus educandum susceperat, itaque Leifus Gatæ apud Thrandum adolevit. Æstate [2]) Sigmundus navem in Norvegiam ituram parat; tum Thrandus trientem

[1]) annis, B. C. S. [2]) nempe sequentis anni.

multæ pependit, oppido gravatus [1]). Sigmundus, antequam ex Færeyis solveret, tributa Hakoni satrapæ exegit, eique tradidit; is apud satrapam multum æstatis consumsit, tumque Thuridam, Thorkelis Thurrafrostis filiam, uxorem duxit; sequenti vero autumno unacum uxore filiaque Thora in Færeyas rediit, ubi hiemem egit. Insequenti vere, in comitiis Straumseyensibus, pecuniam ab Thrando exegit, trientem nempe, qui tum pendi oportuit. Thrandus tardius ad id respondit, in colloquendo tamen se Sigmundo amicissimum præbuit: ita res habet, cognate! inquit, quod heic puer quidam, nomine Leifus, apud me educatur; nunc oro te, cognate, id quod tibi æquius et rectius videbitur, ut Leifo satisfactionem aliquam pro cæde patris Össuris Hafgrimi filii, quem interfecisti, concedas. Bene res conveniret, si pecuniam, quam, ut dicis, tibi debeo, ei in expiationem cædis paternæ solvere liceat. Neque hoc, ait Sigmundus, neque aliud tuâ causâ faciam; neque tibi ulla hac in re tergiversatio profuerit; pecuniam mihi solvito; alia tibi ratio pejor erit. Tum Thrandus dimidiam trientis partem pendebat, prætendens sibi non vacare plus ea vice pendere. Sigmundus semper manu gestabat securim reduncam, qua Össurem interfecerat. Cum vero Thrandus pecuniam solvere tergiversaretur, Sigmundus ad eum accedens, cornu securis pectori ejus admovet, dicens: fac nunc utrumvis, Thrande! aut pecuniam e vestigio solve, quantam nunc præstare debes, aut ego securim adigam, ita ut persentiscas probe [2]). Thran-

[1]) *stánkadi*, vide Ihrei Gloss. Sviogoth. sub voce *stánka*, ubi hic locus citatur. [2]) forte verba hoc ordine explicanda: *ella mun*

dus fatur: tu sane quam difficilis homo es, qui ne cognatis quidem plus quam aliis hominibus parcas; tunc suorum quendam jubet tabernaculum adire, visum, ecquid pecuniæ in crumena ibi jacente reliquum esset; redit homo, crumenamque Sigmundo porrigit; mox argentum ponderatum, crumenæque tantum inerat, quantum Sigmundus tunc accipere debuit. His gestis discedunt. Sigmundus denuo hac æstate orientem versus in Norvegiam transmittit, Hakonoque satrapæ tributa reddit; insequenti autumno in Færeyas reversus, in villa sua hiemem egit. Sigmundus insulanorum gratiam sibi conciliavit; ipse ac Bjarnius Svineyensis pacificationem conventam sincera fide servabant, Bjarniusque sæpe Sigmundum et Thrandum in gratiam reconciliare potuit, cum res tantum non in præsens discrimen adducta esset. Sequenti vere, cum comitia Straumseyensia Thorshafniæ celebrarentur, et Sigmundus trientem pecuniæ, qui nondum solutus erat, a Thrando exigeret, hic denuo Leifi nomine satisfactionem cædis paternæ postulavit; tum multi verba interponebant, ut inter eos conveniret. Tum Sigmundus: Leifus Thrando acceptum refert, si potius male, quam bene de eo meream; bonorum vero virorum gratia hæc pecunia sic maneat, sed neque eam condono neque eam persolvo. Re ita gesta comitia dirimuntur. Procedente æstate Sigmundus iter in Norvegiam paravit, tributa Hakono satrapæ perlaturus; in apparando quidem serior, sed, ut primum licuit, in altum provectus est. Thurida uxor ejus in insulis remansit, sed Thorer Beineris filius Sig-

---

ek þrýsta öxinni útœpliga, svá at þú skalt kénna, aut e. sec. non hæsitanter adigam, ita ut pers. etc.

mundi assiduus comes erat, sive in otio ageret, sive inter terras commearet, hique per omnem ætatem, ut cognati & coalumni, mutuam necessitudinem carissimo affectu coluerunt. Sigmundus ac Thorer hoc autumno navem ad Thrandheimum appulerunt, atque hiemem apud satrapam transegerunt, plurimumque gratia apud eum valuerunt. Ea hieme piratæ Jomenses in Norvegiam venerunt, atque cum Hakono satrapa filiisque ejus, ut supra demonstratum est, conflixerunt. Cognati, Sigmundus ac Thorer pugnæ interfuerunt, signa secuti satraparum, Hakoni & Eiriki; dicitur Sigmundus primus omnium celocem [1]) Buii Crassi, cum acerrime pugnaret, proximusque ei Thorer cum triginta viris conscendisse. Cum vero Sigmundus et Buius armis decertarent, Sigmundus intelligens, se Buium robore & ictuum vehementia æquiparare non posse, ad pugnandi peritiam confugit, et clypeum gladiumque in sublime jactos inter manus commutavit, ut sæpius facere solitus est; quod cum Buius præcavere non posset, Sigmundus sinistrâ manus Buii in carpis præcidit; quo gesto in navem, septimus suorum, resiliit, [ceteris omnibus, qui eum ac Thorerem secuti fuerant, interfectis [2]). Tum Buius e nave in mare egressus est, nave sua defensoribus nudata, ut supra memoriæ proditum est. Sequente autem vere Hakonus satrapa digredienti Sigmundo eximia munera [3]) dedit. Mox cognati in Færeyas revecti, vitam quietam egerunt, Sigmundo rerum summam tenente.

---

[1]) *skeið*; de qua voce v. Scripta Soc. Litt. Isl. Tom. 6. p. 134. [2]) cum tres hominum decuriæ cum Sigm. & Thorere navem conscendissent. B. C. [3]) *stórgjafir*] *strengjaferju*, navem

Rex Olavus nuntium misit Sigmundo Bresteris filio.

Cap. 187. Nunc eo, unde devertit narratio, redeundum, quod rex Olavus Tryggvii filius duas hiemes in Norvegia egerat, et proxime elapsa hieme Thrandheimum ad christianismum converterat. Insequenti vere, rex, nuntiis in Færeyas missis, Sigmundum Bresteris filium ad se arcessivit, additis promissis, hac profectione ei honorem accessurum, facturumque se, ut maximæ inter Færeyenses auctoritatis vir evaderet, si in aulicorum numerum recipi vellet. Ea æstate Stefner Thorgilsis filius, quem rex superiore æstate in Islandiam miserat, ut supra memoratum est, revenit, quem rex summa comitate excepit. Stefner inter aulicos regis versatus est, eique vera de profectione sua retulit, quam gravate mandata ejus ab Islandis excepta fuissent, seque putare, haud sine magna difficultate Islandos ad christianismum traduci posse.

Rex Olavus Thangbrandum in Islandiam mittit.

Cap. 188. Rex Olavus Thangbrandum presbyterum ædi sacræ, quæ Mostriæ erat, ut supra dictum est, præfecerat, jusseratque, ut homines, qui in Hördia fidem reciperent, quosque ante regis in regni partes boreales abitum baptizari non licuerat, sacro fonte lustraret. Cum vero Thangbrandus liberalioris esset ingenii, magnumque secum haberet hominum numerum, et se suosque laute tractaret, vicini autem optimates populi, in rectâ fide ad-

---

vectoriam, rudentibus instructam. Bi vox dubii significatus.

huc novitii, se in doctoribus et clericis stipe sublevandis nimis parcos præberent, factum est, ut bona, quæ rex Olavus ædi sacræ attribuerat, cito consumerentur. Thangbrandus autem, cum solitam magnificentiæ et liberalitatis consvetudinem tenere desperaret, nisi advectionibus rei familiari subvenisset, ethnicos bello persequi et prædas agere occepit, atque sic se familiamque sustentavit. Quibus rebus factum est, ut in odium regis Olavi incurreret; rex enim pacem toti regno conservandam indixerat, omnesque depopulationes & rapinas vetuerat, nisi si ipse injurias civium vindicare decrevisset; quapropter Thangbrandum ad se arcessi jussit. Thangbrandus regem in Thrandheimo convenit, quo tempore Stefner nuper ab Islandia advenerat, ut modo memoratum. Qui cum regem convenisset, rex eum graviter increpuit, inquiens: malam rerum tuarum mutationem induxisti, qui piraticæ, more ethnicorum, operam des, teque et alios rapinis et prædis sustentes, cum deo servire divinusque doctor vocari debuisses; certo scias, te propter hoc omnia beneficia amissurum, regnoque meo exulaturum. Thangbrandus respondet: graviter deliqui; obsecro tamen, domine! ut rerum mearum miserearis, mihique potius pœnam aliquam aut difficile negotium injungas, quam ut me exilio multes aut abs te repellas; omnia enim, quæ potero, lubens subire volo, ne iram tuam experiar. Rex loquitur: quod si tanti mea gratia apud te sit, in Islandiam transmittito, et deo juvante omnem populum ad rectam fidem convertito; quod si efficere potueris, in spem venies pristinorum, imo majorum, beneficiorum & honorum. Thangbrandus reponit: quocunque me mittere voles,

proficiscar, operamque dabo, ut dei vestrumque mandatum exsequar; scire tamen non licet, quo successu usurus sim. Deinde rex Thangbrando idoneam navem comitatumque tam ex clericis quam laicis dedit, omniaque subministravit, quæ ad promovendum christianismum opus erant, profectionemque ejus quam diligentissime instruendam curavit. Thangbrandus erat statura grandis, robore firmus, ore diserto, vir doctus, magnus athleta, singularique animi fortitudine, quamvis doctor religionis esset; alios non lacessens, sed, si iratus esset, acer nullique in dictis factisve cedens. Hic ab rege Olavo Nidarosiæ digressus, cum se paraverat, ventumque commodum nactus erat, vela in altum dedit.

Rex Olavus Sigmundo religionem prædicat.

Cap. 189. Cum rex Olavus, procedente æstate, ex Thrandheimo profectus in Sunnmœriam venisset, convivioque apud potentem quendam colonum adhiberetur, Sigmundus Bresteris filius, jussu regis, ex Færeyis unacum Thorere cognato suo advenit. Quem rex, cum adesset, lætabundus excepit; colloquioque mox instituto, rex ita fatur: bene fecisti, Sigmunde! quod hanc profectionem non subterfugisti; ea maxime de causa te ad me arcessivi, quod tua fortitudo et naturæ artisque bona multorum sermone coram me celebrata sunt; integram tecum amicitiam inire cupio, si in rebus, quæ mihi maximi momenti videntur, obsequentem te præbebis. Sunt quoque qui dicant, nostram societatem non inconvenientem esse, quippe qui utrique non fortitudinis expertes habeamur, diu vero cum itinerum molestiis [1]) et periculis conflictati simus, antequam

[1]) udis laboribus F. S.

honores nobis proprios adepti simus; sunt enim nonnulla, quæ non absimili modo nobis acciderunt, tam exilio, quam servitute: tu necem patris innocentis oculis tuis puer vidisti; ego vero in utero matris eram, cum pater meus, nulla causa, sola propinquorum malitia et avaritia, dolo interfectus est; mihi quoque relatum est, tantum abfuisse, ut satisfactio pro cæde patris tibi oblata fuerit, ut cognati tui te, perinde ac patrem, interfici jusserint; deinde in servitutem venditum, et hoc modo a possessionibus tuis et fundis avitis ejectum et asportatum, omnis opis in ignota terra longo tempore expertem, nisi, si quam homines, nulla tibi necessitudine juncti, misericordia moti exhibuerunt tibi, providentia et cura ejus, qui omnia potest. His autem, quæ de te modo enumeravi, haud absimilia sunt, quæ mihi acciderunt. Postquam natus sum, persecutio mihi insidiæque factæ, morsque destinata est a conterraneis meis, ita ut mater, patre, cognatis omnibusque possessionibus relictis, paupere fuga, me assumto, elabi necessum habuerit. Sic tres primæ hiemes vitæ meæ transiere; deinde ego ac mater a piratis capti sumus, egoque a matre divulsus, quam deinceps nunquam vidi, ter in servitutem venditus sum; in Estonia inter omnes ignotos [1]) versatus sum, donec novennis essem; quo veniens cognatorum quidam, qui genus meum agnovit, ex servitute me redemit, et orientem versus in Gardos (Moscoviam) transportavit; hic, quamvis liber vocabar, novem hiemes in exilio egi et aliquantum adolevi, exindeque majora beneficia et honores a rege Valdemare adep-

[1]) omnibus ignotus, S.

tus sum, quam in hominem peregrinum cadere posse viderentur, eodem fere modo ac tu ab Hakono satrapa. Nunc tandem eo res adducta est, ut utrique nostrum, pro longâ prosperitatis et honoris amissione, patrimonia et patrias recuperaverimus. Omnium vero maxime ea de causa, quod audivi te nunquam simulacra coluisse, more aliorum ethnicorum, in bona sum spe, fore, ut excelsus cœlorum rex, creator omnium rerum, te ad notitiam excelsi sui nominis, et ad sanctam fidem meis adhortationibus perducat, mihique socium faciat veræ religionis, quemadmodum æqualem robore, artis naturæque bonis, aliisque multiplicibus beneficiis, quæ tibi sicut mihi longo ante tempore concessit, quam ullam gloriæ suæ notitiam habui. Idem ille omnipotens deus faxit, ut te ad veram fidem adducere, ejusque ministerio subjicere queam, ut exinde, ipsius beneficio, meoque exemplo et adhortatione, omnes tibi subjectos ad ejus gloriam perducere possis, quod futurum spero. Tu quoque, si meis monitis, quæ jam attuli, obsequi deoque sincera fide constanter servire volueris, amicitiam et honorem a me consequeris, quamvis nihili sit præ illo honore et felicitate, quam omnipotens deus pater tibi concedet, ut cuivis alii, qui beneficio sancti ejus spiritus præcepta ejus observat, nempe ut cum dulci suo filio, rege omnium regum, in æternum regnet in celsissima regni cœlestis gloria. Cum rex finem dicendi fecisset, Sigmundus infit: notum tibi est, domine! quod in oratione tua attigisti, me ministerio Hakoni satrapæ devinctum fuisse, a quo liberaliter habitus, sorte mea perbene contentus fui; erat enim amicis benevolus, utilia consulens, liberalis,

suaviterque affectus, quamvis in inimicos esset crudelis et fraudulentus; tua vero religio multum a mea discrepat. Cum autem ex suavibus tuis alloquiis intelligam, hanc, quam prædicas, religionem omni ex parte pulcriorem et magis salutarem esse eà, quam ethnici tenent, lubens facio, ut consilia tua sequar, amicitiamque conciliem; atque ideo nolui simulacra colere, quod jam multo ante intelligebam, eum cultum in nulla re frugiferum esse, etsi alium meliorem ignorabam.

Cap. 190. Rex Olavus lætatus est, Sigmundum tam prudenter orationem suam excipere. Tum Sigmundus comitesque sui omnes baptizati, et jussu regis sacris institutionibus imbuti; posthæc Sigmundus aliquantisper cum rege versatus est, magno honore habitus. Appetente vero autumno [1]) rex Sigmundo significat, velle se eum in Færeyas mittere, ut populum ibi habitantem ad christianismum perduceret. Sigmundus primo id negotium excusavit, tandem vero voluntati regis obsecutus est; eumque rex præfectum constituit omnium Færeyarum, doctoresque tradidit, qui populum baptizarent, institutionibusque necessariis imbuerent. Sigmundus, ut erat paratus, navem solvit, facilique navigatione usus, cum Færeyas venisset, comitia universalia Straumseyæ indixit, quæ magna hominum frequentia celebrata sunt. Constitutis comitiis, Sigmundus surrexit, brevique oratione exposuit, se æstate proxime elapsa orientem versus in Norvegiam transmisisse, conventum regem Olavum Tryggvii filium, regemque universas insulas suæ potestati subjecisse. Plerique colonarum comprobarunt. Tum Sigmundus loquitur: id quo-

[1]) vere F.

que vobis notum facere volo, me novam religionem suscepisse, christianumque factum, negotium et mandatum regis Olavi accepisse, ut universum populum in his insulis ad rectam fidem convertam. Thrandus orationi ejus respondet, convenire, ut coloni de hac difficili causa inter se disceptent. Coloni hoc bene dictum esse testabantur. Hic Thrandus cum suis aliorsum in campum secessit, animosque colonorum oratione sollicitavit, dicens, integrum illis esse, imperata cito negare; quibus alloquiis effectum est, ut universi inter se consentirent. Sigmundus, videns, universum populum ad Thrandum confluere, sibique nullos relinqui, nisi suos, qui christiani erant, loquitur: nimiam utique potestatem Thrando concessi. Mox homines eo, ubi Sigmundus ac sui considebant, confluere, arma sublimia gestare, infestosque motus ostendere. Sigmundus et sui insurrexerunt. Tum Thrandus: consideant homines, seque tam furiosos ne præbeant; te autem, Sigmunde cognate! scire volo, me colonosque universos de re a te proposita ita inter nos consensisse, ut nullo modo novam religionem acceptare velimus; atque heic in comitiis te aggressi interficiemus, nisi absistas et firma fide promittas, te nunquam deinceps tale mandatum his in insulis exsecuturum. Sigmundus, cum intelligeret, nihil religioni hac vice profici, nullasque haberet copias, quibus cum universo populo contenderet, eo descendit, ut testibus adhibitis dataque dextra ea, quæ postularant, promitteret; quo facto comitia dirimunt. Sigmundus hiemem domi suæ Skufeyæ peregit, graviter quidem ferens, quod coloni se vi coegerant, indignationem tamen dissimulans.

Sigmundus Bresteris filius christianismum Fœreyis introducit.

Cap. 191. Sequenti vere, quo tempore æstus maritimi ferme incitatissimi erant, trajectusque inter insulas desperatus videbatur, Sigmundus duabus navibus domo Skufeya profectus est, triginta viris stipatus; dicens, se ancipitem fortunam periclitaturum, ut aut regis mandata exsequeretur, aut moreretur. Ad Austreyam cursum tenuerunt, insulamque nacti, cum processisset nox, inopinato supervenerunt, ita ut villam Gatam corona hominum cingerent; mox forem ædis solitariæ, in qua Thrandus dormiebat, trabe immissa effregerunt, Thrandum manibus comprehenderunt et eduxerunt. Tum Sigmundus: nunc quoque evenit (proverbium), Thrande! alternos prævalere [1]); tu me præcedente autumno vexavisti, duasque duras conditiones proposuisti; nunc tibi ego duas proponam conditiones, oppido iniquas; bonam alteram, ut veram religionem acceptes et te facias baptizari, quam si noles, altera est, ut confestim interficiaris; quæ conditio mala est, nam sic brevi divitias et temporalem hujus mundi prosperitatem amittes, miseriam vero et æternum infernalem cruciatum in altera vita recipies. Thrandus respondet: non erit, ut veteres amicos frustrer. Tum Sigmundus hominem curavit, qui Thrandum percuteret, eique magnam securim in manus tradidit; qui cum elata securi ad Thrandum accederet, Thrandus ad eum respiciens: noli, inquit, homo! me tam cito percutere;

[1]) Quid huic proverbiali locutioni subaudiatur, *sigr* an *högg i annars garð*, an *eiga*, ut *hafa*, de reportanda victoria dici possit, haud liquido dixerim.

prius pauca loqui volo; ubi vero Sigmundus, cognatus meus? Adsum, inquit ille. Tu solus, cognate! inter nos decidas, egoque religionem, quam vis, acceptabo. Tum Thorer Beineris filius: tu eum, homo! percute. Sigmundus reponit: non hac vice percutietur. Id tibi amicisque tuis vità stabit, ait Thorer, si nunc salvus evadit. Sigmundus se ejus rei periculum facturum ostendit. Tum Thrandus domesticique sui a presbytero baptizati. Sigmundus, adjuncto sibi Thrando comite, omnes Færeyas peragravit, non prius desistens, quam universos incolas ad christianismum convertisset. Deinde eadem æstate navem parat, Norvegiam petiturus, regique tributa insuperque Thrandum de Gata redditurus. Thrandus vero, animadvertens Sigmundum se regi traditurum, profectionem excusavit, Sigmundus vero in incepto perstitit; moxque, vento secundo spirante, retinacula [1]) solvunt; cum vero haud longe in altum provecti essent, in æstus maritimos et tempestates incidentes, ad Færeyas repelluntur, ubi nave penitus confracta, res omnes amiserunt; nautarum plerique servati. Sigmundus Thrandum multosque alios servavit. Thrandus significat, haud facili [2]) navigatione usuros, si se invitum ad proficiscendum cogerent. Sigmundus, eum nihilo secius iturum, etsi molestum ipsi videretur, ostendit. Sumta deinde alia nave, propriisque, quibus abundabat, pecuniis, quas pro tributo regi redderet, Sigmundus cum suis altera vice in altum provehitur; nunc non ulterius, quam antea, pervenientes, vehementes adversas tempestates nanciscuntur, denuo ad Færeyas rejiciuntur, navemque obli-

[1]) tentoria (refigunt?) F. [2]) celeri, B.

dunt. Sigmundus grave itineris impedimentum objici queritur. Thrandus sic rem exituram significat, quotiescunque ita iter aggressi fuerint, ut se invitum deducere conarentur. Jamque Sigmundus Thrandum liberum dimittit, ea lege, ut jurejurando interposito promittat, se rectam fidem accepturum et observaturum, fidem et obsequium regi Olavo & Sigmundo præstiturum, neminem insulanorum prohibiturum aut impediturum, quominus quisque iis fidem et obsequium præstent, hoc regis Olavi mandatum, ut et quodcunque aliud, quod Færeyensibus injuncturus esset, promoturum et exsecuturum. Thrandus tam exacte jurat, quam diligentissime Sigmundus juramentum præire potest. His gestis Thrandus Gatam concessit, Sigmundus vero Skufeyæ in villa sua hanc hiemem egit, nam multum autumni processerat, cum ultima vice repulsi sunt. Sigmundus navem, quæ minus collisa fuerat, reficiendam curavit. Insequens hiems Færeyis quieta, nullisque gestis memorabilis.

Cap. 192. Nunc primo dicendum est, quid interea in Norvegia acciderit, dum Sigmundus Bresteris filius in Færeyis commoratus est, ibique christianam religionem propagavit. Rex Olavus, post discessum Sigmundi, ut prius dictum est, austrum versus oras maritimas legit, et autumno sequenti convivia obiit, lentiore itinere progressus. Stadum vero austrum versus prætervectus, colonos ad se arcessivit, fidem eorum emendavit, moresque, sicubi opus esse visum est, correxit. Rex Olavus prima hieme orientem versus in Vikiam pervenit.

Rex Olavus nuptias Sigridæ ambit.

Cap. 193. Sigrida, Svethiæ regina, impe-

riosa dicta, in prædiis suis sedebat. Paulo post quam rex Olavus orientem versus in Vikiam pervenit, ut modo dictum est, internuntii inter regem Olavum et Sigridam reginam cum his mandatis commeabant, ut rex nuptias Sigridæ ambiret; quæ cum conditionem acceptaret, mutuo pacto constitutum est, ut hac hieme, post festum Jolense, de his rebus in Gothalbi ad fines regnorum convenirent. Tum rex Olavus Sigridæ reginæ ingentem illum annulum aureum muneri misit, quem annulum de foribus templi Hladensis abstulerat, rem omnium, qui viderunt, judicio pretiosissimam. Regina Sigrida annulum accepit, et magnificentiam liberalitatemque Olavi regis perquam laudavit; atque mox annulum per totam aulam inspiciendi causa circumferri fecit, omnibus uno ore dicentibus, se annulum pari bonitate non vidisse. Erant ibidem cum regina duo aurifabri ipsius, qui annulum, ad se circumlatum, manu ponderarunt, nullis adhibitis verbis, nisi quod soli inter se colloquerentur; quod animadvertens regina, ad se vocatos interrogat, quid in annulo vituperassent; illis negantibus, jubet, ut ante omnia dicant, quid deprehendissent vitii. Dicunt, adulteratum esse annulum. Fracto deinde, jussu reginæ, annulo, filum æreum [1]) intrinsecus deprehensum est; qua re irata, regem Olavum sic plura adulterasse [2]) confirmavit.

Incolæ Hringarikiæ Christiani facti.

Cap. 194. Asta, filia Gudbrandi Kulæ, quam rex Haraldus Grœnlandicus uxorem du-

[1]) filum ferreum C. [2]) pluribus in rebus sibi fraudem facturum, B. C.

xerat, brevi post mortem ejus nupta est viro, nomine Sigurdo Syri (porcæ), qui rex erat Hringarikiæ. Rex Sigurdus Syr filius erat Halfdani, filii Sigurdi Hrisii, filii Haraldi pulcricomi. Olavus, filius regis Haraldi Grœnlandici & Astæ, in pueritia educatus est apud Sigurdum regem, vitricum suum, et matrem Astam in Hringarikia. Hac eadem hieme rex Olavus Tryggvii filius, relicta Vikia, in Hringarikiam profectus, religionem christianam prædicavit; tum baptismum subiit rex Sigurdus Syr uxorque Asta, item hujus filius Olavus, tum tres annos natus; ipse vero rex Olavus Olavo Haraldi filio officium lustricum præstitit. Tum tota Hringarikia magnaque Upplandorum pars christiana facta. His gestis rex Olavus iterum in Vikiam reversus, ibi commoratus est usque eo, donec orientem versus Konungahellam profectus est, ut ibi ex condicto Sigridam reginam conveniret, quemadmodum hac hieme de nuptiis inter eos jungendis convenerat. Eo regina Sigrida adfuit; quæ cum in regis colloquium venisset, res primo ad concordiam et conventa perficienda spectare videbatur. Tum rex Olavus Sigridam hortatus est, ut baptismum subiret, veramque religionem acceptaret. Reponit illa: non deseram religionem, quam hucusque habui & observavi, et ante me consangvinei mei; neque criminabor, si quem volueris deorum colas. Quibus dictis rex Olavus ira commotus, chirothecam suam nimis præcipitanter in faciem ejus impegit, dicens: putasne rugosæ cutis vetula (silicernium), velle me, te decrepitam, eandemque canis instar ethnicam ducere uxorem? Cave, ne hoc in animum inducas; neque eo audaciæ procedas, ut sæpius nomen domini mei, me audiente,

ethnico tuo vocabulo profanes, ita ut celsissimum cœlorum regem, in quem credo, diis annumeres. Cui Sigrida: hoc omne, quo me, Olave! affecisti, dedecus et contumelia facile mortem tibi contraxerint. Quibus dictis utrique irati digrediuntur; rex Olavus boream versus in Vikiam contendit, regina vero orientem versus in Svethiam ad prædia sua. Hæc paulo post Sveini Tjuguskeggi (barbæ furcatæ), Danorum regi, nupsit; tum enim Gunnhilda, filia Burizlavi Vindorum regis, quam prius duxerat, mortua erat. Qua affinitate inter Sveinem, Danorum regem, et Olavum regem Svethicum, filium reginæ Sigridæ, intima juncta est amicitia.

Rex Olavus Thyram reginam conjugem ducit.

Cap. 195. Burizlavus, Vindorum rex, Sigvaldio Satrapæ, genero suo, sæpius conquestus est, violatum esse pactum, quod Sigvaldius inter regem Sveinem et Burizlavum regem in eas leges pepigerat, ut Burizlavo Thyra, filia regis Haraldi Gormidæ, soror Sveinis regis, nuptum daretur. Hoc vero connubium non ad effectum pervenerat, ut cogitatum constitutumque erat, eo quod Thyra præfracte negavit, se regi seni et ethnico nupturam. Quare res ita aliquantisper tenuit, ut Thyra apud Sveinem regem in Dania ageret. Burizlavus vero, cum spem præcisam videret, Sveinem regem sororem suam ad se missurum, Sigvaldio satrapæ ostendit, se pactum conventum persequi velle, jussitque satrapam in Daniam ire, Thyramque, pactam suam, ad se deducere. Satrapa mandatum iter non neglexit, sed Sveinem regem adiit, eique mandata exposuit, de-

monstrans, infesta Vindorum arma infestosque exercitus regno suo certo metuendum, si pactum cum rege Burizlavo conventum non servasset. Sermonibus ad rem persvadendam compositis satrapa eo rem deduxit, ut Sveinn rex ei invitam traderet Thyram sororem suam, mulieribus nonnullis et nutricio suo, Özure Agii filio, viro potenti, pluribusque hominibus e Dania comitatam. Pacto inter Sveinem regem et Sigvaldium satrapam convenit, ut possessiones in Vindlandia, quæ reginæ Gunnhildæ fuerant, jam Thyræ propriæ cederent, nec non alia magni pretii bona, quæ dotis nomine ei darentur. Multum flens Thyra, invitissima abiit. Postquam in Vindlandiam pervenerant, Burizlavus rex, nuptiis celebratis, conjugem sibi duxit Thyram reginam. Hæc autem, a quo tempore inter ethnicos homines est commorata, nec cibo nec potu cum illis frui voluit; atque sic septem dies transiere. Deinde Thyra regina et Özur nutricius ejus noctu in sylvam aufugerunt: ut paucis fugam eorum narremus, in Daniam venerunt, ubi Thyra nullo pacto ausa est commorari, cum persvasum haberet, Sveinem regem, si adventum suum rescisceret, se illico in Vindlandiam retro esse ablegaturum; inde occulti ignotique iter persequuntur, donec in Norvegiam ad regem Olavum pervenerunt, a quo bene excepti liberaliterque tractati sunt. Thyra regi, quibus in angustiis res suæ versarentur, prolixe exposuit, auxilium ejus exposcens, tutamque in regno ejus mansionem. Thyra erat femina diserta, cujus sermones regi placuere; eadem forma morumque elegantia præstans, quare rex, intelligens, eam sibi congruam fore uxorem, sermonem eo flectit, ut, num sibi nubere vellet, eam rogaret. Quæ autem

tum fuit rerum suarum ratio, atque cernens ex altera parte, quam fortunatum esset junctum cum adeo insigni rege conjugium, conditionem minime spernendam duxit, ideoque regem, ut sibi suisque rebus prospiceret, rogavit. Re autem utriusque sermone agitata, rex Olavus Thyram conjugem duxit, quæ, auctoritate Özuris nutricii sui, ipsa se despondebat. Rex Olavus apparato insigni convivio, nuptias Tunsbergi celebravit; quod factum est tertia hieme, qua rex erat Norvegiæ, paulo post quam Sigridam reginam in Albi (Gothorum) convenerat; nam Thyra regina regem in Vikia adierat, cum ille nuper a conventu rediisset. Tum rex omnes magnates et nobiles colonos, tam in Vikia quam alibi passim, ad se invitavit; permagna eo confluxit hominum multitudo, conviviumque instauratum est magnificentissimum. Primo convivii die, cum potus eximius homines exhilararet, rex omnesque qui intus erant, hilares fuerunt; rex modestum pocillatorem ad se vocatum jussit, ut mandata sua ad reginam perferret. Famulus Thyram reginam adiens, inclinato corpore eam salutavit, et dixit: dominus meus me ad te misit, domina! quæsitum, utrum donum nuptiale vestræ dignitati eligat, ut virgini, an ut feminæ, quæ viro nupta fuerit. Illa respondet: i et domino tuo dic, se ipse cogitet, utrum magis conveniret, si eundem lectum septem noctes cum eo sociavissem, uti nunc cum alio rege sociavi; tum denique faciat, quod ipsi mihique honestius judicaverit. Famulus ibat et regi responsa retulit. Quæ cum ipsi placerent, pallam muliebrem pulcris pellibus splendidoque ornatu instructam ei statim dono misit. Hoc ipso convivio rex multa, quæ ad corrigen-

dos mores hominum, qui eo convenerant, facerent, oratione persecutus est, palamque populo fecit, omnes homines, tam viros quam feminas, qui artibus magicis et veneficiis exercendis convicti & infames essent, præsertim incantatores, e regno ejiciendos esse. Deinde rex omnes hujusmodi homines per Vikiam vicinosque tractus et provincias conquiri jussit, et universos ad se arcessivit. Qui, ut ad regem pervenerunt, magnum numerum effecerunt, quorum omnium unus erat princeps, nomine Eyvindus Kelda, vir incantator et artis magicæ perquam peritus, idem genere nobilis et dives, nepos ex filio Rögnvaldi Rettilbeinii (rectipedis), filii regis Haraldi pulcricomi. Rex eos comiter allocutus, baptismum veramque religionem acceptare, priscam vero superstitionem et artem magicam abrogare jussit, „alioquin, inquit, a regno meo exsulabitis, opes patriasque amittetis." Qui cum dictis regiis obsequi nollent, omni huic multitudini [1]) magnum cœnaculum designavit, ubi splendidissimum convivium, apparatu exquisito, celebratum, pocula valentissimi potus apposita certatimque circumlata sunt; procedente vero die, cum ethnici nimio mero furere cœpissent, quippe qui a potando pro lubitu non abstinerent, rex eos accedens: apparebit, credo, inquit, quam ægre feram vos amittere; magnum enim damnum et vastationem regno nostro infertis, si tanta tamque insignis [2]) multitudo, quanta huc convenit, ablegabitur; nolo tamen vos in hac terra manere, nisi errori vestro renuntietis; lubens autem optaverim, si ejus rei facultas sit, ut adhortationibus meis obsecuti, priscam

[1]) conluviei B. [2]) sic B. C. F. *herfiligt*, turpis, scelesta A.

religionem abrogetis, christianam vero religionem et veram fidem omnipotenti deo habendam recipiatis; quod si facietis, possessiones vestras avitosque fundos retinebitis, insuperque communes mecum delicias et decus, potestatem et honorem, quando optaveritis, quæque præstare mihi fas sit, consequemini. Tum Eyvindus Kelda omnium nomine respondet: non est, quod postules, o rex! quod neque verborum lenociniis neque minarum terroribus potest impetrari, ut religionem nostram artesque missas faciamus. Tum rex abiit, suosque jussit, non minore studio merum illis apponere. Ea vero multitudo tantopere inebriata est, ut, ubi quisque consederat, ibi somno obrutus jacuerit. Vespere rex ignem cœnaculo subjici jussit; ethnici vero non prius sunt expergefacti, quam flammis tacti essent; cœnaculum et qui intus erant omnes, igne absumti sunt, excepto Eyvindo Kelda, qui, arte magica et vi diaboli, per fenestram [1]) elapsus, aufugit, et primo quam maxime cavit, ne in manus Olavi regis incideret; cum vero longius processisset, die quodam obvios habuit homines aliquos, cum quibus collocutus Eyvindus, quæsivit, quo proficiscerentur; illi se regem Olavum adituros affirmabant. Hic Eyvindus: commodum accidit, inquit; rogatos vos velim, ut mandata mea ad regem perferatis, his verbis: Eyvindum Keldam ex incendio evasisse, verique similius esse, eum posthac in potestatem regis Olavi non venturum; eundem eodem ac antea tenore incantationes suas et artes magicas exercitaturum, nisi si quis his cumulus accedere queat. Quibus dictis Eyvindus iter

[1]) psevdothyram, F.

sum persecutus est, illi vero regem convenientes, mandata Eyvindi singulaque verba, prout eos jusserat, exponunt. Rex ægre tulit, quod Eyvindus mortuus non erat, dixitque fore, si eum altera vice capere posset, ut gloriari non opus haberet.

[*Auctoris de artibus diaboli cogitatio.*]

Cap. 196. Rex Olavus, missis per Vikiam nuntiis, copias imperat hac æstate in boreales regni partes deducendas; ineunte vere, rex ipse et aulicorum grex, e Vikia egressus, in prædiis majoribus convivia obiit, inde boream versus in Agdas et Rogalandiam tendebat, vergente ad finem jejunii quadragesimalis tempore; ipsa paschatis vigilia ad Ögdvaldsnesum in Karmta appulit, ubi convivium paschale ei apparatum erat. Thyra regina, Sigurdus episcopus multique alii magnates, ad trecentique viri, comitati regem fuerunt. Sed quemadmodum fama percelebre est verisque argumentis confirmatum, quod postquam omnipotens deus excelsum satellitium cœlestium virium, ministeriis suis destinatum, creaverat; invidia et superbia angelum, qui cæteris præstantior erat factus, omnesque, qui in rebellione adversus creatorem cum eo consenserant, e celsissimo honore et beatitudine, quæ ipsi a deo tributa sunt, dejecit; et ut ille prius omnibus angelis in celsissima gloria pulcrior et venustior fuit, sic tum factus est, atque semper exinde est turpior et odiosior omnibus diabolis in infimo tartaro, tanta malitia et invidia plenus, ut et ministri et nuntii sui, ut omnium maxime in id incumbat, ut quodvis bonum consilium opprimat, sæpeque virus suæ astutiæ humano generi propinet, sub varia specie

vel vultu; nam si quando videat agmen suorum ministrorum diminui, oves [1]) vero divini gregis, alloquiis et pulcra adhortatione ministrorum Jesu Christi, multiplicari, plurimis modis eos, a quibus contumeliam et damnum sibi metuit, fraudibus quibuscunque decipere tentat, atque deinde eundem populum, quem perdidisse & amisisse sibi videtur, in immensi erroris laqueos seducere cogitat; quemadmodum ex sequentibus patebit.

Odin regem Olavum convenit.

Cap. 197. Ferunt, prima vespera, qua rex Olavus convivio paschali Ögvaldsnesi exceptus est, senem eo adfuisse, perquam disertum, unoculum, hebetibus oculis, pileoque demisso; is in colloquium cum rege se insinuavit, atque rex ejus sermonibus delectatus est, nam res tam priscas quam novas ex omnibus terris referre novit. Rex eum multa rogitabat; sed advena singulis quæstionibus apta responsa inveniebat; quare rex in multam vesperam sedebat. Tandem rex interrogavit, an nosset, quis hominum fuisset Ögvaldus ille, ex cujus nomine prædium et promontorium denominata sint? Advena respondet: Ögvaldus fuit rex, et in bellis versatissimus; is vaccam quandam maxime coluit, eamque secum duxit, sive mari sive terra iter faceret, quippe salubre putans, lac ejus usquequaque bibere; unde proverbium, vulgo tritum, ortum ducit: utrumque una eat, senex & vacca. Ögvaldus rex prælium fecit cum rege, dicto Varine, in quo prælio rex Ögvaldus cecidit, tumque heic in promontorio haud procul a villa tumulatus est,

[1]) *sædi*, semen B. C.

lapidesque sepulcrales juxta erecti, qui adhuc heic in promontorio stant; sed in alio tumulo, haud procul hinc, posita est vacca. Talia aliaque plurima de priscis rebus et regibus narravit. Cum autem in multam noctem sessitatum esset; episcopus regem monuit, tempus esse cubitum eundi; quod et rex fecit. Qui postquam vestibus exutus in lecto se composuerat, senex ille advena adfuit, et in scamno lecti considens, sermones diu cum rege miscuit, nam regi, verbo dicto, verbum deesse videbatur. Sigurdus episcopus in lecto, regis proximo, cubuit; cum vero rex diu vigilaverat, episcopus monuit, tempus esse dormiendi; quare rex in pulvinaria se reclinavit, dolens sermonem intermissum; advena vero exiit. Rex, repentino altoque somno oppressus, graviter stertebat; paulo post expergefactus, advena ubi esset quæsivit, eumque arcessi jussit; quæsitum itur, nec uspiam inventus est; tum surrexit episcopus et vestibus se induit; rex quæsivit, an tempus adesset missæ celebrandæ? Episcopus ita esse affirmavit. Tum rex vestibus indutus, coquum et assatorem arcessi jussit eosque rogavit, ecquis vir ignotus paullo ante accessisset. Respondent: venit profecto, domine! ad nos, cum conviviumhocce paravimus, vir quidam ætate provectus, nobis ignotus; is dixit, mirum quantum malam esse carnem quam coqueremus, neque dignam, quæ in regia mensa apponeretur, tam solemni, atque instaret, festo; his dictis duo nobis tradidit boum latera, crassa & pingvia, quæ cum alia carne coximus. Rex loquitur: probe intelligo, hunc eundem ipsum esse ac advenam, qui heri vespere nobiscum collocutus est; ite nunc quam citissime, atque ista cibaria omnia com-

burite, aut in mare ejicite, alia vero vicissim parate; diabolus enim nos ita non decipiet, ut meorum quisquam venenato illius victu vescatur. Hic revera nullus homo fuit, etsi visus est, sed diabolus ipse, totius generis humani inimicus, speciem induit infidi illius Odinis, in quem ethnici homines longo tempore credide-runt, quemque deum coluerunt; nunc vero ostendit, se ferventem ardentis invidiæ æstum tolerare non posse, cum numerum suorum di-minui videat, hominibus potestati & voluntario ministerio dei omnipotentis se subjicientibus; quam ob causam nos malitiosæ astutiæ reti, quod fraudulentis dolis tetendit (inescavit), ca-pere tentat, cum tempestivam quietem nobis tardaret et impediret, eo consilio, ut nos ideo, somno gravati, constitutum tempus divini cul-tus aut omitteremus aut omnino negligere-mus; facile (fieri potest [1]), ut nonnullæ ejus astu-tiæ posthac appareant, etsi non enumerem. Quicquid tandem, præter hoc quod dictum est, consilium fuerit veri nostri inimici, diaboli, quod heri vespere somnum nobis tardavit; non insperanti mihi ceciderit, id si aliqua ratione hoc die eveniat, ut jam significavi. His dic-tis rex ad sacra celebranda ivit, missaque can-tata est.

Eyvindus Kelda ad Ögvaldsnesum appellit.

Cap. 198. Nunc illuc redeundum, quod hac eadem nocte paschali Eyvindus Kelda ad insulam appulit, longa nave vectus, quæ incan-tatoribus et viris artium magicarum peritis ple-ne instructa erat. Eyvindus ac sui omnes in

[1]) videtur excidisse: „*má vera*," fieri potest.

terram escendunt, artesque suas magicas exercere incipiunt, quibus Eyvindus vi magica paravit galeam occulentem adeoque densam caligine nebulam, ne ab rege ejusque comitatu conspici possent. Cum vero ad villam Ögvaldsnesi appropinquarent, res longe aliter atque cogitaverat Eyvindus, cecidit; etenim caligo nebulosa, quam vi magica effecerat, super ipsum ejusque comitatum stetit, atque subito omnium oculos tanta cæcitas occupavit, ut oculis non magis quam cervice cernerent, omnesque in orbem circumquaque irent. Excubitores regii, vagantes conspicati, cum nescirent quæ manus esset, rem ad regem detulere, quo tempore cantus matutinus ad finem erat perductus. Rex egressus, cum Eyvindum ac suos vagantes conspiceret, suos arma induere jussit, propiusque accedentes contemplari, qui hominum essent, qui tam mire incederent. Illi jussa faciunt; regii Eyvindum Keldam noscentes, universos comprehenderunt, et ad villam, deinde ad regem a missa redeuntem deduxerunt. Tum Eyvindus omnia de suo itinere exposuit, atque insuper, se animo constitutum habuisse, regem inopinato opprimere, eumque aut somno obrutum interficere, aut in ædibus cum omnibus suis concremare. Rex infit: nunc eventus docuit, vos ipsos incidisse in eundem laqueum aut decipulam, quibus alios irretivissetis, nisi obstitisset cæcitas, qua tu et tui capti estis; vero quoque fuit simile, misericordiam dei omnipotentis, auxiliumque ejus eximiorum angelorum, quorum custodiæ et tutelæ populum suum committit, plus valitura, quam tuas magicas artes, aut maledictum diaboli nuntium, Odinem, qui ideo tempestivum somnum jucundis fabulis nobis tardavit, ut eo

facilius nos fallere et sopire posset, quando vigilare debueramus, id quod hoc mane (in oratione mea) attigi. Hæc quoque res digne cecidit, pro potestate et voluntate celsissimi cœlorum regis, quod ipse cum dulci suo filio, domino nostro Jesu Christo, qui hac gloriosa die corpus suum in vitam revocavit et a morte surrexit, et cum suo sancto spiritu unus deus in trinitate, ex his, ut omnibus aliis, honorem et victoriam reportavit, inimicus vero ludibrium et ignominiam. Quoniam vero, Eyvinde! compertum habes, tuam superstitionem et magicen aliis nil nisi malum efficere, tu tuique commilitones voletis, credo, ab longo errore desistere atque nunc tandem in verum deum credere. Quod cum Eyvindus sociique sui facturos se præfracte negarent, rex eos omnes in ædem quandam includi jussit; postero vero die, jussu regis, cæci et vincti in scopulum quendam, qui accessu æstus marini inundabatur, insulæ vicinum, deportati sunt; ubi Eyvindus suique omnes periere; qui locus exinde dictus est Skrattasker (scopulus dæmonum). Rex Olavus septimanam paschalem Ögvaldsnesi sedit, cumque dies maxime solemnes exiissent, utrumque tumulum, qui in promontorio erat, effringi jussit; atque reperta sunt in tumulo majore ossa humana, grandia, vetustatis speciem præferentia, in minore vero ossa bubula. Deinde rex boream versus littora prætervectus est, prima jam æstate, lentis itineribus progrediens; multis locis in prædiis suis majoribus diu commoratus, magnas secum splendidasque copias habens.

Sigurdus et Haukus in potestatem Olavi regis veniunt.

Cap. 199. Sigurdus dictus est vir, alter

Haukus, ambo Halogia oriundi, ætate juvenes, statura grandes et robusti, itineribus mercatoriis frequentissimi. Hoc eodem vere, quo rex Olavus ab oriente Vikia profectus est, Sigurdus et Haukus occidentem versus in Angliam transmiserunt; æstate provecta in Norvegiam redeuntes, boreamque versus littora legentes, in Nordmœria in copias Olavi regis inciderunt. Rex, certior factus, adesse ex Anglia mercatores Halogos, ethnicæ religioni addictos, navium ductores ad se vocari jussit; interroganțe, an religionem christianam acceptare, baptismoque initiari vellent, facturos se cito negabant. Rex multis modis, diserta oratione usus, rem iis persvadere tentavit, neque, quod voluit, ab iis impetravit: tum ultima quæque, mortem aut mutilationem, minatus est, sed frustra; itaque compedibus vinctos secum in Thrandheimum deduxit, ubi aliquamdiu in vinculis tenebantur. Rex sæpius eos accedens, nunc honores et amicitiam suam iis pollicitus est, nunc duros cruciatus minatus est, sed irrito conatu, nam neque bonis neque malis movebantur. Sed nocte quadam custodia elapsi sunt, nemine sciente, quo eos fuga detulisset, aut quo pacto evasissent; compedes enim integræ remanserant, clausaque domus, in qua custoditi fuerant; qua re variis sermonibus jactata, rex ipse pauca locutus est, custodes tamen carceris nonnihil increpuit, horum incuriæ et temeritati culpam maxime tribuens, quod fugam eorum non observassent. Verum culpa tum reparari non potuit, nam quæsiti nuspiam reperti sunt. Fratres, Sigurdus et Haukus, adulto autumno, in Halogiam ad Harekum de Thjotta pervenerunt, a quo liberaliter excepti, ibi hiemem apud eum percommode transegerunt.

[*De Thorvaldo Tasaldo.*]

Cap. 200. Hac eadem æstate, de qua modo actum est, ex Islandia in Norvegiam Thorvaldus Tasaldus pervenit, Vigaglumi ex sorore nepos, vir aspectu pulcher, statura grandis et robustus, atque pecuniæ largus. Thorvaldus ex alto ad Thrandheimum delatus, navem ad Nidarosiam constituit. Tum rex Olavus, qui nuper ab australibus regni partibus advenerat, in oppido aderat; qui certior factus, mercatores ethnicos ab Islandia advenisse, Thorvaldum ad se vocatum baptismo initiari jussit. Thorvaldus fassus est, se regio favori tributurum, ut baptismum subiret religionemque christianam amplecteretur. Rex eum hoc sinceriorem amicitiam suam experturum ostendit, quo facilius dictis suis obsecutus esset. Tum Thorvaldus navitæque sui baptizati. Thorvaldus hiemem apud regem peregit, haud levi honore habitus. Sigurdus dictus est aulicus regis, alter Helgius, ambo strenuitate conspicui, regi cari, ingenio vero admodum dissimiles. Sigurdus ingenio erat populari, Helgius vero indole intractabili et subdola. Thorvaldo Tasaldo inter hos per hiemem sedes designata fuit. Helgius Thorvaldo invidebat, et in omnibus ei invidiam concitavit, Sigurdus vero ei benevolum se præbuit; quare Helgius ex ea scamni parte profugit, neque apud Thorvaldum considere voluit; inde Thorvaldum cummaxime apud regem calumniari cœpit, in eum finem, quoad rex ei silentium imperavisset, inquiens: non opus est, ut Thorvaldum aliosve homines, qui mecum sunt, apud me deferas, ipse enim meos aulicos explorare volo. Tum Helgius Sigurdum contra Thorvaldum accendere conatur,

eumque coram illo calumniari cœpit. Sigurdus loquitur: haud equidem tua causa Thorvaldum odiis exercebo, etenim spectatæ virtutis est, tu vero homo improbus. Quoniam vero Helgius non destitit [1]), sed in calumniando assiduus erat, factum est, ut rex eo minus familiariter uti cœpisset. Die quodam Helgius Thorvaldo: regem, inquit, interroga, qui se adeo tristem præbeat. Thorvaldus: non id te monente aut hortante faciam; spero quoque, si qua in re ipsi displiceam, tuæ calumniæ non fidem habiturum. Helgius: magnum se, ut assolet, contubernalis simulat. Post aliquanto Thorvaldus, cum die quodam coram rege adesset, ita loquitur: confidentis fuerit de tristitia tua interrogare; si morbus causa, haud in promtu medela; si qua alia cura, aut casus aliqui hominum opera profecti, fieri potest, ut tuo naturæ bono & fortuna adjuvante, levetur. Rex: non æger sum, inquit. Thorvaldus: tum vero melius est, cum [2]) res durissima abscesserit; ecquem injuriæ tibi illatæ reum postulas? Rex ita esse ostendit: „atque ulcisci licet, tu vero, Thorvalde! hoc difficile negotium expedire teneris, qui primus scitatus fueris." Thorvaldus: omnes tibi subjecti jussa tua facere debent; verum sciendum est mihi, quorsum isthoc spectet, etsi expediendo non sim. Rex: Bardo Crasso nomen est viro, genere Upplando, pecuniis diviti; huic unica est filia, nomine Thora; Bardus ætate declivis est, habitatque in Upplandis, tractu Ulfarsdalis dicto; ei villa est magna et splendida; filia ejus Thora apud eum est, cæterum ibi nulla hominum multitudo observatur. Minime vero mihi pro-

[1]) Thorvaldum calumniari, add. B, C. [2]) cf. si, B

batur, quod Bardus neque religionem amplecti, neque me convenire vult; bis ad eum duodecim viros misi, nemine revertente. Thorvaldus: num Bardus iste sacrificiis admodum deditus est? Rex: vulgo nesciunt, nullum enim est fanum ad villam ejus; Bardus vero vulgo miri ingenii habetur, ejusque vitæ tenor et agendi ratio hominibus parum nota est. Thorvaldus: equidem lubens lætitiam tibi reddiderim, domine! nunc Bardum conventum ibo, si vis, quicquid demum insuper effici dabitur. Rex id se velle confirmavit. Helgius hac re lætatus est, sperans, Thorvaldum non magis rediturum, quam ceteros, qui hoc iter suscepissent. Deinde Thorvaldus iter paravit, quot vellet, comites sibi adjungere, a rege jussus. Thorvaldus respondet: Sigurdum consessorem meum fidum et bonum virum expertus sum, quare velim, ut is me comitetur, neque plures; tua enim, o rex! cœptis adspirans fortuna plus valebit, quam viri aliquot. Rex respondet: ego (sane) benevolentiam meam vobis adjungam; sed mittam vos ad colonum quendam, nomine Björnem, haud procul a Bardo habitantem; quem talem esse judico, qui vobis aliquid de consvetudine Bardi referre, eoque viam monstrare noverit. Deinde profecti ad Björnem veniunt, qui eos bene accepit, ubi novit regios esse legatos. De ædium ratione & consvetudine Bardi scitantibus, Björn ait, miro modo res ejus procedere: „ibi nulli homines animadvertuntur, cum eo ventum est; omnia tamen negotia bene atque ordine geruntur." Noctu, cum somno se dedissent, Thorvaldus somnians videre sibi visus est Olavum regem ad se accedentem, dicentemque: invenies, cum experrectus somno fueris, ad caput tuum lim-

bum quendam, cui innexa est schedula, nominibus dei inscripta; hanc schedulam pectori prætexe, limbumque extra et corpori tuo, quantum in longitudinem sufficit, circumvolve; quo facto Bardum aggredi ne dubites. Thorvaldus somno excitatus limbum reperit, eumque sibi applicat, quemadmodum præmonstratum est. Sequenti mane Björn colonus eos domo deduxit, viamque monstravit ad villam Bardi; via per sylvam quandam ferebat, quam cum permeaverant, ingentem vident villam, quam alta sepes lignea ambiebat; ad villam subeunt; porta sepis cancellata adaperta fuit, item fores ædium; nihil hominum foris vident; vestibulum intrantes circumspiciunt: ædes erant magnæ, tabulata recens polita, ab altera parte cœnaculum, totum stragulis obductum, splendideque instructum; Bardus in sede primaria sedebat, calvo capite, coccinis indutus, chirothecas cervina pelle confectas manibus tenens; femina vero, statura grandi, forma venusta, tapetes acu pingebat; plus hominum non vident. Bardus infit: quid vestibulum intravit? Illi nomina indicant, seque regios legatos esse profitentur. Bardus: cujus rei caussa duo tantum huc advenistis? Thorvaldus: tantæ ante fores copiæ adsunt, ut te invitum ad regem perducere queant, si lubens (sponte) nolis. Tum Bardus chirothecas manibus raptim diripiens, hos versiculos fudit:

Putavi me interdum adeo
strenue usum esse manibus [1]),
ut satellitem barbatulum [2]) alacrem [3])
solus retinere potuerim.*)

---

[1]) *harðhendit pat*] *harðhendr verit* F. Sk. eodem sensu; *harðhendr*, qui duras adeoque robustas habet manus; *harðhenda*.

Thorvaldus: adeo nunc experiamur, inquit, atque mutuo complectamur. Moxque in Bardum invadit; jamque magna vi alter alterum raptare; diei multum jam processerat; cum vero aliquantisper colluctati fuerant, Thorvaldus, viribus admodum desertus, deum submissa voce orare, ut sibi opem aliquam contra adversarium ferret; hoc ipso momento Bardus quam acerrime instabat, ut vero pectora eorum collidebantur, haud aliter fuit, quam si quis Bardum accedens supplantaret, ita ut ad limen concideret, ambobus, ipso ac Thorvaldo, tum adeo defatigatis, ut nihil quicquam agere valerent. Tum Bardus: opem jam fer, Thora! Cui illa: opem tibi ferre nequeo, pater! nam ego ac Sigurdus mutuo raptamur, atque heic apte congruit, quod æquis viribus certamus. Bardus loquitur: nunc eo descendendum, quo nunquam antea necessum habui, ut opem adversus unum implorem; progrediantur, qui cœnaculum subterraneum habitant, mihique

---

dura manu aliquid tractare; adverb. *harðhendiliga*, strenua manu, occurrit in Eigla ed. Havn. p. 720. *þat*, h. l. valet, *adeo*. [2]) *skálpgrana*] *skálfgranna*, Sk. vox *skálpgrani* varie interpretari potest, secundum derivationem τῆς *skálp*: *a*) a *grani*, homo barbatus, et *skálpr*, vagina; hoc modo adhibetur hæc vox in Krókarefssaga, ed. Hol. p. 61: *"hirðmaðr kóngs hèt Grani ok var kallaðr Skálpgrani — barst mikit á at vopnum ok klæðum*, et p. 62, *skálpgrani*, per *sverðhúss-grani* datur, nam, sec. p. 64, *"skálprinn er hús sverðsins"* ɔ: vagina est domus ensis. *b*) a *skálp*, garrulitas, quod occurrit in Edd. Snorr. it. in Grettla c. 5. str. 2. hinc *skálpgrani*, per hominem barbatum garrulum verti potest; utraque hæc interpretatio rei satis convenire videtur; nam a *skálpr*, navis, derivare vix ausim. [3]) *skélkinn*, meticulosus, F. Sk.; *stundum* S.; *skotskr* vero mihi h. l. est alacer, a *skjótr*, velox.

*) Extat in Sk. 2, p. 39.

opem ferant. Procurrunt homines quadraginta; Thorvaldus et comes comprehensi. Bardus infit: strenue mihi opem tulerunt cœnaculi subterranei incolæ, Thora! atque sic deinceps erit, sicubi auxilii fuerit opus; quare haud necessarium duco, Sigurdum & Thorvaldum in vinculis servare; verum tamen nolo, sæpius in me involes, gigas! etsi Thorvaldus vocaris, neque enim tibi deest audacia et alacritas; fieri tamen potest, ut homo sis, isque nimium quam artis magicæ peritus, non enim me primo adversus te vires defecere; puto autem te adeo potentes naturas vi magica in me incitasse, ut concidendum mihi fuerit, nunquam enim antea accidit, ut uni succubuerim. Hic vero pernoctandum vobis est, etsi metuitis, quomodo in vos consulatur. Deinde mensa apposita, large instructa; neque cibus neque bonus potus deerat. Cum vero corpora curaverant, Bardus infit: minime cibum vobis invideo; at satis confidenter vos cibum sumsisse existimassem, si vel omni metu vacaretis, atque apud amicos essetis constituti. Deinde ad cubile deducti, noctem somno placido transegerunt. Sequenti mane cum se ad iter paravissent, Bardus suos jussit, eos domo deducere; cum vero egressi essent, Thorvaldus, cum circumspiciens nullos homines præsto videret, infit: nunc Bardus voluit, ut abiremus, neque nos inter et illum plus intercederet negotii; hoc autem jam non fiet: nos eum denuo ante conveniemus. Tum intro eunt. Bardus infit: vos sane quam miri homines estis, qui exieritis, neque abieritis; quidni metuere sciatis, tanquam alii homines? quid, curæne vobis est, ut moriamini? Thorvaldus reposuit: ideo reversi sumus, quod nolui meæ benevolentiæ aut

honori tuo deesse; nequaquam adeo timidi sumus, ut regis mandato defungi non audeamus. Jam te oratum volo, ut sponte tua mecum regem adeas. Bardus loquitur: cur non me prius interrogas, qua religione utar? Quia scire non aveo, ait Thorvaldus. Bardus ait: notum tamen tibi facere volo, me non simulacris aut diabolis fidem habere; varias terras peragravi, viris gigantei roboris et æthiopibus occurri, qui me opprimere non potuerunt; quare diu robore meo et viribus confisus sum, ea vero fides nunc me prima vice insperato fefellit; atque intelligo, si tua solius virtute nisus fuisses, me non fuisse abs te superatum, quid vero pectori tuo prætextum erat, cum pectora nostra inter se contingebant? suspicor, eum multum pollere, ex quo hæc suboles profecta est. Thorvaldus respondet: vera dicis, eum esse potentem; hæc enim nomina sunt dei, quem nos christiani colimus. Bardus ait: non cogitare queo, non posse eum omnia efficere, si ipse adsit, cujus sola nomina ad me superandum suffecerunt; atque ideo regem tecum adibo, quod intelligo, bonum esse, deo fidem habere, qui tam potens est, si cui fides habenda sit. Ideo vero cœnaculum subterraneum faciendum curavi, præsidioque munivi, quod statueram, si multitudo hominum adversus me contracta esset, eorum auxilio uti numeroque confidere; quod si vero me duo aut tres aggrederentur, nihil curabam, etenim his non succubiturum me, certus fui. Hic quoque sunt viginti et quatuor legati Olavi regis, quos ad me misit; hi bene apud me habiti sunt, non vero interfecti, ut rex forte putaverit. Deinde Bardus paravit sese, et cum omnibus suis Thorvaldum comitatus est, ut regem conve-

niret; cum vero prope abessent ab oppido Nidarosia, Bardus infit: nunc tu, Thorvalde! regem adi, eique significa; velle nos heic loci baptizari, ubi nunc sumus; nolumus enim multitudini deridiculo [1]) esse, quando nos adeo sênes vestes exuamus. Thorvaldus regem adiit, eique de itinere suo omnia, atque quem in locum res tum deducta esset, exposuit. Olavus rex hac re lætatus, cum presbyteris statim Bardum adiit, qui, salutato rege, locutus est: potentem deum regis [2]), domine rex! quod cum in me expertus sim, nunc in eum credere baptismoque initiari volo. Rex respondet: bene dicis, Barde, pro tuo captu; vere autem dictum est, potentem esse deum, qui me omnesque res tam visibiles quam invisibiles regit, et omnes, suo ministerio dignos, quanquam variis modis, ad se invitat. Tum Bardus baptizatus, suique omnes. Deinceps Bardus: dic mihi, inquit, rex! an bonus nunc sim. Rex ita esse professus est. Bardus ait: hucusque in me ipso satis præsidii habuisse mihi visus sum, neque aliis regibus aut principibus apparui; nunc autem tuis ministeriis me addicere volo, o rex! tibique, quoad vixero, adhærere; quippe verisimillimum putans, me, quam nunc accepi, bonitatem sic non amissurum; volo autem, ut conditioni Thoræ filiæ meæ rebusque omnibus prospicias, eamque Thorvaldo Islando loces, bene enim de nobis meruit. Thorvaldus respondet: non ita fieri licet, nam uxorem in Islandia habeo. Rex fatur: hanc itaque uxorem Sigurdo amico tuo dato; bene enim con-

---

[1]) multitudinem congregari B. C. [2]) vox *stýra* h. l. idem valet ac *ráða*, eo sensu non ubivis obvia; cum vero hic rex dilogiam captet, vox pressius reddenda fuit.

gruit, nam æquis viribus gaudent. Thorvaldus respondet: lubens faciam, domine! ea tamen conditione, ut Helgio munus suum abroges, minus tamen, quam pro meritorum ratione, discrimen inter Helgium et Sigurdum fit; quod si mihi præstiteris, tua causa Helgio injuriam non faciam. Rex ita fieri jussit. Deinde Sigurdus Thoram in matrimonium accepit et villicationem, quæ Bardo Crasso fuerat, in Upplandis administrare cœpit. Bardus, non multo post quam baptizatus est, in morbum incidit, et in albis mortuus est. Thorvaldus vero in Islandiam rediit, eximio honore ab rege Olavo mactatus, vir magnus et spectatæ virtutis vulgo judicatus.

De Sveine et Finno filio ejus.

Cap. 201. In libris historicis scriptum reperitur, regnante satrapa Hakono Sigurdi filio, in Thrandheimo virum fuisse, Sveinem dictum. Sveinn fuit vir dives, magno loco natus; in vita communi alienis negotiis abstinens, mansuetique ingenii; erga potentiores asper et magni spiritus, si quid ei displiceret: is, more consangvineorum et majorum, deos ethnicos coluit, quemadmodum omnis eo tempore Norvegiæ populus. Sveinn domi suæ insigne fanum habuit, splendide instructum, in quo multa simulacra fuere, quorum Thorem in primis coluit; eidem amicitia fuit cum Hakono satrapa, quemadmodum aliis hominibus, qui sacrificiis fuere dediti. Sveinn uxorem habuit, duosque filios, quorum alter Sveinn, alter Finnus nominatus est. Sveinn patrem ingenio referebat, Finnus vero fuit importunus, pervicax, oblocutor assiduus, alienis negotiis se immiscens, atque turbulentus; interdum taciturnus, et

contumax, et in omni animi habitu insolens, quapropter nonnullis ingenio laborare videbatur; idem in observandis ritibus ethnicorum negligentior, nam si quando in fanum patris venit, (quod rarissime fecit), deos non laudavit, sed eos quovis verbo irridebat, pætos et pulverulentos [1]) vocitans, aliisque auxiliari posse negavit, qui vires non haberent ad sordes ab se depurgandas; sæpius eos apprehendens a pulvinaribus raptavit; pater autem successibus ejus obfuturum dixit, quod tam iniquum se illis præberet: prædicans, quot et quanta virtutis documenta Thor exhibuisset, qui saxa penetravisset, rupesque confregisset, Odinem autem victoriæ hominum præfuisse. Finnus reponit: exiguarum sane virium est, saxa aut cautes frangere, et talibus operam dare, aut victoriam fraudibus, nulla auctoritate, concedere, ut Odin fecit; ille vero mihi potens videtur, qui ab initio montes, omnes terras et mare constituit; quid, quæso, de illo referre potes? Pater autem de his pauca locutus est. Hieme quadam, festo Jolensi, cum homines ad potandum convenissent, Finnus fatur: multis locis, ubi non melius habitatur, quam hic, hac vespera vota fieri puto; nunc votum voveo, me regi, qui summus aliorumque in omnibus præstantissimus sit, appariturum. Hæc voti nuncupatio in variam partem accepta est, nonnullis dicentibus, Hakonum satrapam in regnis septemtrionalibus summum principem esse, eique Finnum apparere velle. Finnus se regem ab satrapa discernere posse testatus est. Qui in deteriorem partem

[1]) *rokinbrusta* (vox mihi obscura) B. *rjúka dust af*, pulveremque exhalantes. F. S.

acceperunt, ita judicarunt, eum tam in his responsis, quam in voti nuncupatione stultitiam ostendisse. Post festum jolense Finnus se ad abitum paravit. Pater interrogavit, quo cogitaret. Finnus respondet: nullus scio, quo proficiscar, sed is mihi rex quærendus est, cui apparere decrevi, et tamen ea solum lege, ut quod vovi votum ex omni parte exsequar; quæsivit deinde, an Sveinn frater suus secum ire vellet; ille negavit. Bene quoque est, ait Finnus; tu pecunias nostras unacum patre servabis, credo, donec rediero. Pater dixit: visne, tibi comites adjungam, pecuniasque dem? Finnus reponit: absit hoc; pluribus enim hominibus vix bene prospexero, si mihi ipse prospicere non sciam, quod multi dicunt, quodque sic esse non nego. Post hæc Finnus abiit, et austrum versus per superiora Upplandorum iter faciens, in Vikiam pervenit, ubi, conducta cum onerariarum ductoribus vectura, austrum versus in Daniam transmisit. Simul vero ac terram in Dania pedibus tetigisset, solus a nave in sylvam se recepit, convectoribus valere non jussis; neminem rogavit, ut sibi ad tractus habitatos viam monstraret, quare diu in sylvis erravit, tandemque ex sylva egressus, in opilionem quendam incidit. Qui cum convenissent, consederunt et colloquebantur. Finnus an breve iter ad tractus habitatos esset, interrogavit. Opilio sic esse affirmavit. Finnus quæsivit, an vestes secum commutare vellet; ille se lubenter velle ostendit; itaque fecerunt. Finnus loquitur: quid isthoc est, vestibus illigatum? Ille contra: crucem nos christiani appellamus. Tune tibi christianus videris? ait Finnus, quomodo, quæso, illud est, christianum esse? Opilio illi ea de re, quantum

novit, exposuit; Finnus autem vicissim ei de Thore & Odine, eorumque gestis bellicis retulit. Opilio loquitur: video te cito hanc rem mihi intricatam reddere, vero autem similius est, si episcopum nostrum conveneris, qui haud procul hinc abest, te non sola stultitia aut vanitate posse illum eludere, is enim tibi de fide scitu digniora tradet, quam ego. Finnus ad hæc: quid jsthoc est, episcopium vestrum? utrum homo est, an aliud animal? Opilio reponit: nondum te stultitia deseruit, atque puto te stolidum aut fatuum esse, nisi tam stultus non sis, quam te simulas; sed episcopum vocamus rectorem et ductorem sacri cœtus christiani. Finnus se eum convenire velle ostendit. Deinde episcopum convenit eumque salutavit. Episcopus quæsivit, qui hominum esset. Ille se Norvegum dixit. Episcopus: in quem credis? Finnus: in Thorem et Odinem, ut cæteri Norvegi. Episcopus: mala hæc fides est, atque alia meliore te imbuendum curabo. Finnus: comperiam, cum audivero, an ea fides mihi melior videatur; curve, quæso, hanc fidem me per alios potius docere cogitas, quam eam mihi, te ipso docente, ostendere? Episcopus eum presbytero cuidam tradidit, jussitque ut fidem eum doceret, Finnus vero presbytero omnia impedita reddidit, ita ut nihil efficere posset; quare presbyterus episcopo significavit, hunc hominem adeo esse difficilem et stultum, ut nihil negotii cum eo communicandum sit. Cui episcopus: is mihi hic homo videtur, qui non tam stultus, quam miræ indolis sit. Tum episcopus ei referre et enumerare cœpit miracula dei omnipotentis; tandem Finnus locutus est: hæc prorsus aliter se habent, quam quæ ante audivi, nullos deos tam potentes esse quam

Thorem et Odinem; nunc autem ex tuis maxime verbis intelligere mihi videor, in hunc Christum, quem prædicas, dum in hoc mundo fuit, cuique ferme homini pro lubitu agere licuisse, post mortem vero adeo eximium evasisse, ut in infernis bella gesserit, Thorem ethnicorum deorum principem colligaverit, nihilque deinceps illi resistere potuerit; quare ille ipse mihi videtur rex esse, cui ut servirem votum feci, celsior et augustior, major et potentior omnibus aliis regibus; ideoque exinde in eum credam illique serviam, prout vos me instruitis. Episcopus fatur: hæc omnia vera sunt, prouti, deo suggerente, hanc rem intellectu consecutus es; et nunc evenit, quod dixi, te multo sapientiorem esse, quam simules. Tum Finnus baptizatus est, fidemque suam constanter tenuit; is aliquamdiu in Dania commoratus est.

Colloquium inter regem et Sveines.

Cap. 202. Nunc de eo narrandum, quod rex Olavus incolas Norvegiæ ad christianismum converterat. Etsi vero multitudo a presbyteris, quos rex Olavus post cædem Yrjarskeggii per omnem Thrandheimum dimiserat, baptizata est, tamen ibi, ut aliis in locis, fuerunt, qui veram religionem amplecti detrectarent. In his fuit Sveinn, cujus supra mentio facta, filiusque ejus Sveinn cum domesticis suis. Rex vero Olavus, cum audiret, patrem filiumque religionem acceptare nolle, misso nuntio, eos ad se invitavit. Quibus cum regis nuntius venisset, Sveinn junior patrem hortatus est, ut religionem, quam juberet rex, acceptarent. Sveinn senior se non cupidum dixit novandi re-

ligionem, quam cognati majoresque sui tenuissent et observassent; tamen, auctore Sveine juniore, iverunt et regem convenerunt; qui bene eos accipiens, ut religionem christianam amplecterentur, jussit. Sveinn senior respondit: non missam religionem meam faciam. Rex reposuit: tum subita fiet rerum conversio, nam te interficiendum curabo. Hoc facias licet, si vis, ait Sveinn; homo sum senex, cujus non magni referat, foris an intus, aliquanto prius an serius moriar. Tum Sveinn junior regem affatus: domine! inquit, parce, quæso, patri meo, neque eum interfice, nam magno loco natus est, multosque propinquos habet; quare, si de medio sublatus fuerit, multos optimates tibi habebis adversarios. Rex intelligens, Sveinem juniorem multo lenioris animi esse, eum affatus: quid potissimum causæ est, inquit, cur pater tuus fidem amplecti adeo detrectet? an illi molesta videntur jejunia aut afflictiones spontaneæ? Sveinn respondet: ab hoc plurimum abest, fortis enim vir est et omni ex parte strenuus, quamvis senex sit; sed ægerrime fert, Thoris fano privari, quæ ædes magna et pulcra est, splendide facta, magnoque sumtu adornata; quæ diruta aut incensa animum ejus, credo, acrius tanget. Rex respondit: vero tamen simillimum est, alterutrum necessario futurum. Sveinn loquitur: consultumne tibi videtur, permittere, ut fanum cum ornatu intactum maneat, mihique & patri, religionem quam jubes acceptantibus, id tribuere, ut tam insigne artis monumentum ne violetur; nos autem pollicemur, id quod præstabimus, nihil commercii cum Thore habituros, passurosque, ut dii proprio marte se tueantur. Rex infit: an hoc conveniat, nescio; verum, cum benevo-

lum apud te animum deprehendam, vosque omnium judicio boni viri habeamini, permittam, ut fanum his conditionibus, quas modo dixisti, intactum maneat, potius quam christianam religionem denegetis, certaque morte pereatis. Quibus dictis Sveinn patrem conventum ivit, eiqūe, quem in locum res esset deducta exposuit. Is refert: quì rex hæc conjuncta voluerit? Sveinn respondet: hinc, pater! intelligere potes, quanti interesse rex existimet, ut religionem, quam nos profiteri decet, acceptemus, et hoc insuper, quantam nostræ probitatis (virtutis) fiduciam habeat. Sveinn senior respondet: pollicebor, si rex velit, me Thorem non culturum, nihilque commercii cum diis ethnicis habiturum, si modo fanum illæsum manere patiatur. Tum baptismo initiati, in amicitiam regis Olavi recepti sunt, omnia enim promissa bene servarunt, totamque familiam baptizari fecerunt.

Cap. 203. Nunc eo devenit narratio, quod Finnus Sveinis filius, cum fama in Daniam perlata audivisset, religionis mutationem in Norvegia factam, in Norvegiam rediit, et in Thrandheimum pervenit eadem hieme, qua rex Olavus, qui præcedente æstate a Vikia pervenerat, Nidarosiæ consedit. Finnus vero, ut primum in oppidum venit, ad cœnaculum, in quo rex potabat, se contulit. Finnus contemtiore vestitu erat indutus; is a custodibus admissionem petivit; illi dicunt, consvetudinem non ferre, ut ignoti homines regi accubanti negotium facessant: neque tibi (inquiunt), neque ulli alii mendico, qui tam teter et rudis (s. vastus, agrestis) sit, quam tu, intrandi veniam concedimus. Atqui hoc vero verius est, ait Finnus,

me non opus habere, veniam a vobis, malis mancipiis, petere; et cum dicto custodes, alterum dextra, alterum sinistra, comprehensos a foribus abjicit, et intrat; cum cœnaculum ingressus esset, confluunt ad eum viri, fæditatem hominis demirantes, eumque foras extrudere cogitarunt, quod haud facile fuit, nam aliquanto fortius, quam exspectarant, restitit; tum acrius certamen crudescere, aliis fœdas quas gestavit vestes vellicantibus et diripientibus, aliis eum pugnis cædentibus; ille contra, quantum potuit, mali inferre. Quo animadverso rex quæsivit, quid rei esset. Illi dicunt, stultum illum longurionem [1]) ad regem admitti velle. Consultum itaque est, ait rex, malum illi non adferre. Tum dimissus est. Rex quærit, quis esset. Finnus quod visum est respondit. Rex: quænam tui adventus causa est? an baptizari vis? Finnus: opinor, me non secus christianum esse, quam te. Rex, quid diceret, nescire se dixit. Tum Finnus: quid putas, o rex! qui hominum sim? Rex: id quidem nescio, illud autem in aperto est, te virili specie esse; sunt quidem viri te statura majores, pauci vero pulcriores; atque vultus tuus magna promittit. Finnus: tum refert, quam bona promittat, si magna. Rex: non mali hominis speciem præfers. Finnus: bonum est, talia ab tam egregio viro audire. Rex porro: ita mihi videris, vir bonus, pervicax, insolentis ingenii, animique incitatioris. Finnus: vera hæc sunt omnia, quæ dicis; jam vero conjecturam fac, o rex! cujus familiæ sim. Rex: veri simillimum putarem, te filium esse Sveinis amici mei. Verum est, ait Finnus, me Svei-

[1]) rusticum, F.

nis esse filium; tu ipse noveris, an tibi amicus sit. Certe meus amicus est, ait rex, et bene christianus; in una tamen re inter nos prime dissentiebamus: fanum quoddam, Thori sacrum, ad villam ejus stat, quod tamen eum minime curare puto. Qua re percitus Finnus: audi, inquit, rem inauditam; qui tu, bone rex! perspicias, an homines tibi addicti et amici clandestina sacrificia exerceant; adeoque te revera hæreticum esse opinor. Rex eum nimis vehementem esse dixit. Finnus foras se proripuit, patrem fratremque conventurus. Proxima vero nocte, antequam advenisset, Thor, Sveini fratri ejus in somnis visus truci mœstoque vultu, dixit: heic evenit, quod vulgo dicitur, infrequentiore familiaritate obsolefieri (frigescere) amicitiam; etsi vero ea res sit, ut est, unum te rogare volo, ut me domo tua in sylvam avehas, nam Finnus frater tuus domum veniet, cujus adventum valde metuo. Sveinn respondet: pollicitus regi sum, me nihil tecum commercii habiturum, id quod præstabo, teque deum non existimo, si potestatem non habes periculum evadendi, aut te, quo velis, conferendi. Thor, mœstitiæ dolorisque plenus, abiit, Sveinn vero somno expergefactus est. Postero die Finnus advenit, quem pater et filius perbene acceperunt; ubi cum unam noctem transegerat, primo mane surgens, peram sibi comparavit, nodosaque clava in manus sumta, fanum adiit; circa limina postesque vetustatis indicia apparebant, cardines rubiginosi, omniaque situ fœda. Ille ingressus, deos a pulvinaribus excussit, quicquid pretiosum inerat, avulsit et diripuit, peræque indidit. Finnus Thori tres ictus, vi quam potuit maxima, inflixit, antequam caderet; quem deinde, vin-

culo collo injecto, post se ad littus tractum scaphæ imposuit, atque sic se ad regem Olavum contulit, ut Thorem e navicula ejectum identidem aquis submergeret, subindeque verberibus mulcaret. Quod videns rex, cum Thore minus honorifice agi, testatus est. Finnus respondet: hinc apparet, eum diu mihi invisum fuisse; jamque pejus et dignius cum eo agetur. Tum Thorem in scindulas diffissum, ignique injectum, in cineres combussit; deinde liquorem quendam conciliavit, cui cineres injecit, pultemque confecit, quam canibus feminis dedit, his usus verbis: dignus est Thor, quem canes edant, ut ipse filios suos [1]). Finnus in aulica munera receptus est, regique comes adhæsit. Sicubi vero rex veram religionem jubebat, Finnus se adeo vehementem et furiosum præbuit, ut res ad præsens discrimen spectaret, si quis ei morem gerere nollet. Finnus erat bene moratus, diligens religionis cultor, et regem rem divinam celebraturum semper comitatus est. Mane quodam Finnus neque cantui matutino neque missæ intererat; regi causam quærenti, cur pro more solito rem divinam non celebraret, dictum est, eum in lecto jacere. Rex eum accedens, quæsivit, an æger esset. Finnus rem haud magnum momentum habere significavit. Rex eum morbo graviore tentari sentiens, eum decessui ab hac vita præparari fecit, eique, quoad decumberet [2]), ipse præsens amanter affuit. Finnus hoc morbo, piis precibus deum præfatus, decessit; in cujus morte magnum damnum factum esse, rex Olavus judicavit.

---

[1]) Notandum, hic Thorem cum Saturno comparari; alias cum Jove. [2]) viveret, C.

Mors Eyvindi Kinnrifœ.

Cap. 204. Sed eo, unde narratio deverterat, redeundum; fratres nempe Halogos, Sigurdum et Haukum, vincula et custodiam Olavi regis elapsos, hiemem apud Harekum de Thjotta transegisse, liberaliter tractatos. Accidit die quodam sequentis veris, egregia cœli tempestate, cum Harekus domi esset, plerisque domesticis digressis, ut eum tristioris domi silentii distæderet; fratres autem eum semper comitati sunt. Tum Sigurdus eum interrogavit, an vellet sui oblectandi gratia aliquo concedere. Libuit id Hareko. Deinde ad littus descendentes, cymbam sex transtrorum deducunt; Sigurdus e navali velum aliaqve navis armamenta depromsit, quæ sæpe adhibere consveverant, etsi haud procul animi causa proficiscerentur. Harekus cymbam conscendens gubernaculum aptavit. Sigurdus fraterque ejus panoplia erant armati, qua instructi quotidie domi apud herum ire soliti erant; prius vero quam navigium conscenderent, nonnulla vascula, butyro plena, calathumque pane repletum, et ingentem cerevisiæ cupam ei imposuerunt. Harekus interea sedem sibi in puppi apparabat, quare, quid fratres agerent, non animadvertit. Deinde a littore remigant, leni vento borea spirante, mitique cœlo; cum vero haud procul ab insula vecti erant, velum tollunt, Hareko gubernante; atque sic brevi longius ab insula provecti sunt. Deinde fratres Harekum, in puppi sedentem, accedentes, quærunt, quo proficisci cogitaret. Ille se ad proximam insulam oblectamenti gratia navigaturum ostendit. Sigurdus fatur: res nunc eo loco est constituta, colone! ut tibi conditiones nonnullæ sint eligendæ; quarum prima

est, ut nobis fratribus permittas, quorsum iter nostrum dirigamus, quo concesso bene, ut meruisti, tecum agetur; altera conditio est, ut te vinciri patiaris; tertia, ut te interficiamus. Harekus cernens, quo in statu res sua esset, nec se nisi fratrum alteri pugnando parem, si ab armis pariter essent parati, conditionem elegit, quæ ei optima visa est, ut illis iter dirigendum relinqueret, ad quam rem jurejurando fidem suam illis obstrinxit. Quo facto, Sigurdus ad gubernaculum accedens, cursum meridiem versus juxta littora direxit, id unacum fratre sedulo cavens, necubi homines convenirent. Ventis usi maxime commodis et facilibus, itinere non destitere, antequam in Thrandheimum usque vecti, Nidarosiam appulerunt, ubi regem Olavum convenerunt. Vocatum ad colloquium Harekum rex jussit, ut baptismi sacris vellet initiari. Harekus tergiversatus est. Rex et Harekus hac de re per plures dies collocuti sunt, interdum soli, interdum præsentibus aliis plurimis; attamen inter eos non convenit. Tandem Hareko rex dixit: jam domum abito; neque enim tibi damni quidquam inferre volo, primo quod propinqua consanguinitate mihi junctus es, deinde vero etiam, quod queri potes, te dolis a me fuisse circumventum; certo scias, me statuisse, proxima æstate septemtrionalia illa loca adire atque vos Halogos invisere; tum experiemini, an potis sim pœna eos afficere, qui religioni christianæ adversantur. Sibi gratulabatur Harekus, quod quam ocissime posset inde discedere. Rex Olavus Hareko tradidit bonam navem cursoriam, ab utroque latere decem aut duodecim remis instructam, quam a rebus omnibus necessariis jussit quam

optime parari; præterea rex Hareko comites dedit triginta viros, manu promtissimos probeque armatos; Harekus, quam primum paratus erat, abiit, remanentibus apud regem Hauko et Sigurdo, qui ambo se baptismi fonte ablui sivere. Iter suum persecutus Harekus, donec domum ad Thjottam pervenerat, missis mox nuntiis ad amicum suum Eyvindum Kinnrifam, jussit ei indicari, Harekum de Thjotta convenisse Olavum regem, sed non passum fuisse religionem christianam sibi vi obtrudi; alterum illud ei nuntiari jussit, propositum esse regi Olavo, ea æstate infesto exercitu eos aggredi; quare necesse esse, ut sibi caverent, et petere Harekum, ut quam primum se conveniat Eyvindus. Allato hoc nuntio, intellexit Eyvindus, summam id postulare necessitatem, ut huic rei consiliis ita obviam iretur, ut a rege Olavo opprimi non possent. Iter ergo festinat Eyvindus, navi vectus cursoria expedita, et paucis suorum comitatus. Ad Thjottam advectum comiter excipit Harekus; nec mora, ad colloquium duo soli secedunt ab alia parte villæ. Brevi autem habito colloquio, superveniunt regii milites, qui Harekum illuc comitati fuerant, captum Eyvindum ad navem abstrahunt, et inde secum vehunt, cursu non intermisso, antequam in Thrandheimum ad Olavum regem, Nidarosiæ commorantem, pervenerunt. Mox Eyvindus ad regem ductus est. Rex eum, ut alios, christiana sacra amplecti jussit. Abnuente Eyvindo rex blandis verbis eum oravit, ut veram religionem acceptaret, multasque ipse ac episcopus adhibuit rationes, ab gloria et miraculis omnipotentis dei petitas; quibus omnibus ne minimum quidem flectebatur Eyvindus.

Tum rex illi ampla munera magnaque commoda obtulit, solidamque suam insuper amicitiam pollicitus est, si ethnicismo renuntiare christianismumque acceptare vellet; verum Eyvindus hæc omnia pertinaciter respuebat. Tum rex mutilationem aut mortem minatus est, sed ne sic quidem passus est Eyvindus sibi persuaderi. Ibi rex pelvim afferri jussit, vivis carbonibus plenam, atque stomacho Eyvindi imponi, quo facto mox ei ruptus est stomochus. Tum Eyvindus: „amovete pelvim a me; pauca verba, antequam moriar, proferre volo;" id quod factum est. Rex qvæsivit: visne, Eyvinde! nunc in Christum credere? Nolo, inquit; baptismo, etsi vellem, particeps fieri non possum; nam pater meus atque mater nullos liberos procreare potuerunt, antequam Finnos artis magicæ peritos adierunt, eosque multa pecunia donarunt, ut artibus suis conceptum ipsis conciliarent. Illi se hoc efficere non posse dixerunt: „sed fieri potest, inquiunt [1]), si jurejurando promittitis, fore, ut, si infantem, cui vita et ætas suppetat, nacti fuerimus, is homo ad finem usque vitæ Thori et Odini serviat." Parentes monitis eorum obsecuti sunt; deinde procrearunt me, Odinique dedicarunt; mox adolevi, et cum primum per vires licuit, votum eorum renovavi, ex quo summo amore Odinem colui, potensque princeps evasi; sic tam multipliciter Odini dicatus sum, ut id nullo pacto irritum reddere possim, neque velim." His dictis Eyvindus exspiravit, vir artium magicarum omnium peritissimus.

---

1) Ut obtinere possimus, ut infans, quem proxime procreaveritis, corporaliter vivat. add. S.

Rex Olavus et Sigmundus artium certamen instituunt.

Cap. 205. Sigmundus Bresteris filius, cum, jussu regis Olavi Tryggvii filii, omnes Færeyas ad christianismum converterat, æstate proxima Thrandum de Gata secum orientem versus (in Norvegiam) avehere cogitavit, sed bis adversa tempestate ad Færeyas repulsus, utraque nave fracta, alteram hiemem in insulis transegit et navim, minus allisam, reficiendam curavit, eamque proximo vere, quam primum mare navibus pervium videbatur, apparavit, et, cum se itineri accinxerat, pelago commisit, relicto Thrando, ea conditione, cujus supra mentio facta; jam nullo obstaculo interveniente, navigatione defunctus Sigmundus regem Olavum Nidarosiæ convenit, eique pecuniam, quam pro tributis priore æstate amissis persolvebat, item tributa tunc persolvenda tradidit. Rex eum comiter accepit; multumque veris Sigmundus apud regem egit, eique omnia, quæ se et Thrandum ceterosque insulanos intercesserant, negotia accurate exposuit. Cui rex: male accidit, inquit, quod Thrandus ad me non pervenit; multumque rebus vestris, qui in insulis habitatis, officit, quod inde expelli nequit; opinor enim, Thrandum omnium septemtrionalium pessimi hominis personam sustinere.

Cap. 206. Rex Olavus corporis exercitiis omnes Norvegos, quorum gesta memoriæ sunt prodita, in omnibus rebus longe præstabat; corporis robore et agilitate neminem non superabat, qua de re multæ narrationes litteris mandatæ sunt; una, quod extra latera navis per remos ambulabat, suis longam navem remis impellentibus, et tribus simul breviori-

bus gladiis ludebat, ita ut unus eorum semper sublimis esset, ipseque delabentium capulos usque manu prehenderet; utraque manu, pari dexteritate, telo utebatur, et duo simul missilia jaculabatur; arcu manuali, ut qui dexterrime, utebatur, in jaculis quovis modo arcu emittendis exercitatissimus et nandi peritissimus erat; quemvis hominem in scandendis præruptis superabat, quemadmodum inferius dicetur. Rex Olavus animo quam maxime hilari erat et ludis deditus, comis et affabilis, liberalis, in dandis muneribus magnificus, animo multis in rebus vehementi, in cultu splendidus et non vulgaris [1]), supra omnes homines audacia et in bellis fortitudine; idem omnium crudelissimus, si ad iram provocaretur, et inimicos valde cruciabat, quosdam vivos comburebat, alios rabidis canibus dilacerandos objecit, nonnullos (ad necem) verberibus percussit, alios ex altis rupibus præcipitavit; quibus rebus factum est, ut amici eum benevole amarent, inimici vero metuerent; ideo ingens ei successus fuit in religione christiana propaganda, aliisque in rebus, tam intra quam extra patriam, quod alii sponte et amicitia, alii metu voluntati ejus obsequebantur.

Cap. 207. Die qvodam hujus veris rex Olavus Sigmundum Bresteris filium allocutus: hodie nos oblectemus, inquit, nostrasque agilitates experiamur. Ad hanc rem facultas mihi deest, domine! ait Sigmundus; tuo tamen arbitrio hoc, ut alia, quæ in mea potestate sunt, permittam. Deinde natando, ja-

[1]) *Sundrgerðamaðr*, lato sensu, qui in omni vitæ tenore vulgo se eximere studet; specialiter, qui in cultu et sermone elegantiam haud vulgarem affectat.

culando, aliisque corporis exercitiis certarunt. Fama est, in multarum artium peritia Sigmundum proxime ad regem Olavum accessisse, ex iis quidem hominibus, qui tum in Norvegia florebant; tamen, cum experti sunt, in nulla re regem æquiparare potuit. Aliquando, cum rex Olavus in compotatione accumberet, aulicosque suos convivio exciperet, multos adhibens homines, Sigmundus, qui tum apud regem multum gratia valebat, accubuit, duobus hominibus inter illum et regem sedentibus; Sigmundus manus in mensam porrexit; rex intuitus videt Sigmundum crassam armillam in brachio gestare. Rex infit: cedo armillam! Sigmundus detractam brachio armillam regi dedit. Rex: an hanc armillam mihi dare vis? Sigmundus: apud animum statui, hanc armillam non abalienare. Aliam armillam tibi vicissim dabo, ait rex, neque minorem, neque deformiorem. Hanc non abalienabo, ait Sigmundus, nam pollicitus sum Hakono satrapæ, cum mihi armillam sincero amoris affectu [1]) donaret, me eam non abalienaturum, id quod præstabo; tum enim dator muneris [2]), satrapa, bonus mihi visus est, multisque me affecit beneficiis. Rex: tanti eos facias, licet, quanti velis, tam armillam, quam eum qui dedit; jam vero te fortuna destitutum video, hæc enim armilla mortem tibi maturabit; id quod tam probe scio, quam, qua ratione eam consecutus sis, et unde ea tibi venerit; me vero id magis impulit, quod vellem ab amicis meis

[1]) *alvöru*] sic B. C. *avlud* A, quod forte *avlúð* vel *avlverð*, *avlværð*, pronuntiandum; junguntur sæpe *alvara* et *alúð*; *alvara* cognatum saltem est τῷ *alværð* (Örvaroddi vita, cap. 6), *ölværð* (Laxdæla, cap. 84), *ölværliga*, (Heidarv. S. mscr.)

[2]) Hakonis, add. B. C.

pericula avertere, quam quod hanc armillam possidere cupiam [1]). Regis hæc dicentis facies sangvinis instar rubuit, cessavit tamen hac de re colloquium, rege nunquam postea se pari comitate erga Sigmundum præbente; tamen aliquamdiu cum rege commoratus est, prima vero æstate in Færeyas revectus est, amice ab Olavo rege digressus, eique nunquam postea visus; qui cum in Færeyas pervenisset, in villa sua Skufeyæ consedit. Res autem, sicut rex Olavus prædixerat, cecidit; nam vir quidam, nomine Thorgrimus malus, unacum duobus filiis, Sigmundum Bresteris filium, cum natando defatigatus esset, in Sudreya loco Sandvik dicto, clam necavit, ut armilla ab satrapa Hakono donata potiretur, quemadmodum in historia Færeyensium memoriæ proditum est.

Grimus, aulæ præfectus regis Olavi, interfectus.

Cap. 208. Æstate quadam vir in Islandiam venit, nomine Grimus, gente Islandus, qui diu peregre abfuerat; is aulicus erat regis Olavi Tryggvii filii, ejusque proreta aliquamdiu fuerat; idem statura et robore conspicuus. Grimus in Islandia hiemem transegit, sequentique æstate ad comitia equitavit. Tunc temporis Tkorkell Trefill (fascia), Raudabjarnii filius, Svinaskardi in Borgarfjördo [2]) habitavit; Thorkell comitiis interfuit; accidit autem casu, nescio quo, cum ad juris dicundi rupem iretur, ut Thorkell Trefill collapsus pedibus hominum conculcaretur, magna se ingerente turba. Thorkell, cum se in pedes excepisset, ira magno-

---

[1]) *lysti ij fysir eigi at eiga*, possidere non cupio, B. C.; tum præced. *en*, sed. [2]) sic B. C. F. *Breidafjördo* A. S.

pere incensus, Grimo, supra memorato, imputavit, quod se maxime pedibus conculcavisset. Vir quidam, nomine Sigurdus, robore artiumque peritia præstans, Thorkelem in comitia secutus fuerat; hunc Thorkell rogavit, ut contumeliæ sibi illatæ ultionem a Grimo expeteret. Sero itaque vespere, cum Grimus cubitum ire pararet vestesque exuisset, Sigurdus in tabernaculum irrumpens eum incautum aggreditur armisque oppugnat. Grimus hostem forti animo excepit, cum vero inermis esset, parum se tutari potuit, ibique occubuit. Hanc cædem cognati Grimi jure persequebantur, iisdemque comitiis Sigurdum reum proscriptionis peragebant; sed Thorkell Trefill eum hac æstate peregre ablegavit. In Norvegiam autumni tempore delatus, falsum nomen sibi indidit. Rex Olavus, cum ex mercatoribus ab insula (Islandia) advenientibus accepisset, cæsum esse Grimum, qui ipsius proreta fuerat, et hoc insuper, interfectorem illuc adesse, ira valde accensus, statim manu hominum stipatus navem mercatoriam adiit, hominem quæsiturus, auctoremque facinoris mox indagavit, quanquam delitescebat. Tum Sigurdus comprehensus compedibusque vinctus est. Deinde rex celebrem conventum indixit, quo productum Sigurdum rex vestibus exui jussit, et decrevit, ut canibus ad necem dilaceraretur. Tum regem adiens aulicorum quidam: domine! inquit, durior mors huic homini decreta nobis videtur; quare rogamus et oramus, ut tam forti viro pecunia cædem expiare liceat, et, si tibi videbitur, in aulica munera, cæsi loco, recipi; hic enim vir fortitudine Grimo non cedere videtur. Rex respondet: hac, quæ illi

jam decreta est, morte plectetur, quo deterreantur alii, ne aulicos meos innocentes interficiant. Aulicus autem, cum intelligeret, regem hac in re verbis suis nihil tributurum, Sigurdum episcopum conveniens, hæc ei retulit. Episcopus eum confestim ad regem remisit, orans, ut hominem dimitteret. Rex reponit: haud episcopus hominem, solo incedentem, melius quam ego dispicere potest (de hominibus melius judicare p.); vos vero quam citissime exuite hominem. Factum illico. Deinde corona virorum Sigurdo circumfusa; canes soluti vincto nudoque immissi; oculis autem ejus tam acris vis inesse dicitur, ut omnes canes conspectum ejus fugerint, nullusque tam ferus fuerit, ut sævos intendentem oculos invadere ausus sit. Tum rex acrem suum canem Vigium ad se vocatum palpavit, eique nudum illum hominem monstravit; surrexit canis, admodum tamen invitus, rictuque efferato ad Sigurdum procucurrit, eumque una vice dentibus appetens, alvum rupit; mox ad regem recurrens ad pedes ejus decubuit. Sigurdus vero, cum dolorem vulneris sentiret, subito exsiluit, quippe cujus pedes soluti essent, manus vero revinctæ, coronamque hominum transiliens exanimis decidit. Quod cum ad aures episcopi pervenisset, regem adiens graviter increpuit, usque eo donec ad pedes episcopi procidens, vera pœnitentia motus veniam humiliter petivit, lacrimabundusque confessus est, se hoc crudeli facinore graviter in conspectu dei deliquisse. Episcopus, regis pœnitentiam intelligens, placabilem se dei nomine præbuit, ei tamen pœnam ecclesiasticam pro hac re publice constituit.

Rex Olavus ad Halogiam appellit.

Cap. 209. Illo vere, post necem Eyvindi Kinnrifæ, rex Olavus naves suas copiasque jussit parari, ipse dux navis, Gruis dictæ, quam faciendam curaverat; ingens pulcherrimusque exercitus eum comitatus est. Cum autem se paraverat, extrorsum per sinum, boream versus trans Byrdam, indeque in Halogiam vectus, ubicunque ad terrram appelleret aut conventus haberet, universum populum jussit baptismum admittere veramque religionem amplecti; nemine tunc obloqui auso, tota, per quam ivit, regio christiana facta est. Convivio rex Olavus intererat apud Harekum in Thjotta, qui cum tota sua familia baptizatus est; Harekus regi ampla munera dedit, ejusque ministerio addictus magna salaria præfectique jura ab rege obtinuit; utrique deinde amorem mutuum et amicitiam cum consangvinitate coluerunt. Harekus de Thjotta erat filius Eyvindi Skaldaspilleris (poëtarum principis), pater Eyvindi erat Finnus Skjalgius (Strabo), mater Eyvindi Skaldaspilleris erat Gunnhilda, filia Halfdanis satrapæ & Ingibjargæ, filiæ regis Haraldi pulcricomi. Rex Olavus erat filius regis Tryggvii Olavi filii, nati Haraldi pulcricomi.

[*De Raudo valente s: magia potente.*]

Cap. 210. Raudus valens (magiâ) dicebatur colonus quidam potens et dives, habitans in sinu Halogiæ, Salftio dicto, quâ Godeya appellatur. Raudus multos habuit milites domesticos, suosque magnifice tractavit; fuit enim in eo sinu, et pluribus locis in partibus borealibus, vir maximæ auctoritatis, quem magna Finnorum multitudo, quotiescunque ei alicu-

jus opus esset, comitabatur. Erat Raudus sacrificiorum observantissimus, et artium magicarum peritissimus, viroque, cujus supra mentio facta, Thorere Cervo dicto, Vagorum præsidi, intima junctus amicitia; hi ambo principum virorum erant maximi. Qui, certiores facti, regem Olavum cum armata manu ab austro Halogiam circumvehi, copias cogunt, naves imperant, et magno stipantur exercitu. Erat Raudo draco (navis bellica) ingens, capitibus inauratis, triginta interscalmiis instructus, atque ingentis pro hoc numero magnitudinis. Ingentem quoque navem ducebat Thorer Cervus. Hi classe austrum versus regi Olavo obviam vecti, ut primum hostes offenderunt, regem prælio aggrediuntur. Oritur ibi magnum acreque certamen; mox copiis ethnicorum strage attritis, navibusque milite nudatis, subito pavore correptus exercitus in fugam se conjecit. Raudus cum dracone suo in altum properans, vela ventis dare jussit; hic quocunque navigare vellet, ventum secundum nactus est, ope magiæ suæ et incantationum. Ut de itinere Raudi paucis dicamus, eo usque navigavit, donec domum in Godeyam pervenit. Thorer Cervus cum suis copiis ad terram fuga appulsus, ibi cum suis e navibus cucurrit. Quos persecutus rex Olavus in terram escendit cum suis, fugientes persequitur et cædit. Rex Olavus ceteros cursu præverterat, ut sæpissime fieri solebat, ubi hujusmodi negotia erant tentanda; rex Thorerem Cervum currentem conspexit, velocitate pedum omnium præstantissimum; hunc rex persecutus est, comitante cane suo Vigio; cui rex: Vigi, cape cervum! Canis fugientem Thorerem insecutus, in eum mox irruit; Thorer cursum stitit; rex gæsum

suum in eum emisit; Thorer vibrato in canem gladio, ingens ei vulnus inflixit, eodem vero momento gæsum a rege emissum sub alam Thoreris pervolavit, ita ut per alterum latus penetraret. Hic Thorer vitam posuit, Vigius autem saucius ad naves relatus est, ad quem sanandum rex optimum medicum conduxit, sicque sanatus est [1]). Rex Olavus omnibus petentibus, quique veram religionem amplecti volebant, pacem concessit.

De supplicio Raudi Valentis.

Cap. 211. Rex Olavus cum suo exercitu boream versus littora legens, quacunque iret, incolas omnes christianos reddidit. Ad Salftium perveniens, sinum intrare Raudumque convenire statuit; sed procella venti insolitaque tempestas ex interiore sinu tanta vi spirabat, ut rex ibi integram hebdomadam in ancoris staret, eadem vehementi tempestate ex interiore sinu jugiter perseverante, cum extra sinum ventus boream versus petentibus valentius adspiraret. Quare rex boream versus ad Ömdam usque navigavit, ubi totius terræ incolæ religioni christianæ se submisere. Postea retro meridiem versus flexo itinere, cum a borea veniens Salftium intrare vellet, procella salique æstuantis aspergines ex interiore sinu adversæ incitabantur; aliquot ibi noctes rex commorabatur, eadem permanente tempestate. Tum episcopum Sigurdum allocutus rex interrogavit, numquid contra hoc malum remedii sciret? Cui episcopus respondit, se ten-

[1]) dicunt vero nonnulli, canem a rege missum esse ad eum Finnum, qui eum sanare promiserat, ut ante scriptum est, add. S.

taturum, modo sua ope adesse vellet divinum numen, hanc diaboli vim frangere. Deinde episcopus, toto ornatu sacro indutus, in proram navis regiæ processit, ubi crucis sacræ imaginem erigi jussit, cereoque accenso prælucere; ipse thus suffivit, euangelium multasque preces alias recitavit, totamque navem aqua consecrata sparsit, quo facto, tentoria navalia removeri, atque navem remis in sinum impelli jussit; cæterarum navium ductores clamore excitos moneri jussit, ut se sinum intrantem sequerentur omnes. Postquam in Grue remigari cœptum est, processit illa in sinum, ventum nullum sentientibus, qui navem eam impellebant, sicque tractus ille procedentis navis inter utrosque remorum versus [1]) vento immunis remansit, ut ibi tranquillum staret mare, utrimque vero effervescentis sali aspergines tam alte subjectabantur, ut montes nullibi conspici possent; ita per hunc tranquillum tramitem alia post aliam navis remis agitabatur; quo pacto per totum diem noctemque sequentem ferebantur, et paulo ante diluculum ad Godeyam accessere. Ubi propter villam Raudi constitit classis, juxta littus ingentem illum draconem ejus ibi in ancoris stare viderunt. Ad villam Raudi suo cum comitatu mox festinans

---

[1]) *varrsimi*, h. l, puto esse tractum præcedentis navis inter utrosque remorum versus, sive derives a *vör*, f. ductus remi, vel vestigium remi in aqua, quod hodie in usu est; veteres *vörr*, m. dixere, e. gr. *fá vörru* (accus.) paucorum remorum ductus, Sverrissaga; sive referre velis ad Norvag: *vâr*, *vorr*, danice: *Kjölvand*; sive ad vocem poëticam *vörr*, m. mare, quæ voces omnes cognatæ sunt. Posterior vocis pars, *sími*, propr. funis, deinde quicquid in longitudinem extensum. De tractu currentis maris hæc vox occurrit in clave metrica v. 35: *Varrsíma bar fjarri*, ubi de velificatione sermo est, ut h. l. de remigatione.

rex Olavus, in superiori aedium contignatione positum cubiculum, ubi dormiebat Raudus, aggressus est; cujus effractis foribus, irrumpentes regii Raudum captum ligarunt; sed aliorum, qui ibi erant, occisi sunt quidam; quidam capti. Tum ad cubiculum accedentes regii, in quo milites domestici Raudi dormiebant, alios necarunt, alios verberibus mulcarunt aut injectis vinculis ligarunt. Ductum deinde ad se Raudum jussit rex, ut baptismo se sineret abluí: „quod si facis", ait rex, „possessiones tibi non adimam, si modum tenere noveris". Raudus obloquutus est, negans, se unquam Christo fidem habiturum, multaque convicia in deum jactans. Quare ira commotus rex, crudelissimam mortem Raudo minatus est. Prehensum deinde tigno supinum alligari jussit, injectoque inter dentes baculo, os aperiri; tum anguem prehensum ori ejus admoveri; sed noluit os intrare anguis, corpus inde retro agens, cum ei adversum staret Raudus; quare rex angelicae caulem [1]) ori Raudi jussit inseri, dicunt autem nonnulli, jussisse regem, ut tuba sua ori insereretur Raudi, tubaeque immitteretur anguis; deinde laminam ferri candentis jussit admoveri; quo facto anguis, ferrum fugiens, os Raudi intravit, deinde in pectus ad cor penetrans, per sinistrum latus secto vulnere emersit; sic Raudus exspiravit. Rex Olavus ibi permagnas opes auri argentique, et aliarum rerum mobilium, tam armorum quam variarum rerum pretiosarum abstulit. Omnes autem, qui in comitatu Raudi fuerant, quique nondum fuerant interfecti, baptizari curavit rex, recusantes vero vel occidi

[1]) *frenaca*, qui in lignum concreverat; add. S.

vel cruciari. Draconem, qui Raudo fuerat, rex abstulit, ipseque gubernavit, utpote Grue multo majorem et splendidiorem. Exstabat in prora caput draconis, puppis vero in uncum erat curvata, in formam caudæ serpentis fastigatum, et utrimque tam quæ proræ et puppi proxima erant, quam ipsa prora et puppis, auro obducta. Hanc navem rex vocavit Serpentem, cum vela, quando sublata erant, draconi loco alarum essent; quæ navis omnium, quæ tum in tota Norvegia fuerunt, pulcherrima erat. Insulæ, quas Raudus habitavit, appellantur Gillinga & Hæringa, junctim autem omnes Godeyæ, et fretum boreale inter has et continentem, euripus Godeyarum.

Regis Olavi cum vectore lintris commercium.

Cap. 212. Rex Olavus, omnibus hujus sinus incolis ad christianismum conversis, iter suum austrum versus secundum littora flexit, in quo itinere multa memorabilia acciderunt, quæ relationibus celebrantur; gigantes aliique mali genii regios milites, et interdum ipsum regem infestabant. Accidit die quodam, cum iter suum persequerentur, ut hominem quendam viderent, lintre vectum, ab alto remigantem et ad rupes quasdam maritimas recta tendentem. Hic vir, ut in transtro sedebat, grandi erat statura, vastisque humeris, et remos magna vi torquebat. Rex suis: nunc vos remigium fortiter urgete; ingentem enim istum hominem, qui ante nos remigat, convenire volo, et scire, qui juvenis sit. Vir ille ingens, regios remigium festinare videns, idem quoque ipse facit, celeri motu remos versat, nitendoque reclinat humeros; atque sic æquo discrimine utrique feruntur. Tum rex suos jussit

remigationem insuper augere, remosque ex singulis interscalmiis, quotquot in Serpente erant, efferre: „atque singulos remos bini aut terni capiant, inquit, et tamen omnia tentare necessum habebimus, ut hunc virum capere possimus." Illi imperata faciunt; et jam Serpens præcurrentem lintrem celeriore lapsu subsequitur. Quod cum lintris vector conspicaretur, in omnes partes regi visus est oculos conjicere; ille sollicite circumspicere atque animum advertere, quantum spatii ad rupes reliquum sit, tum omnes nervos intendere, fugamque summo studio remigando urgere, insurgit remis, et corpus ad carinam usque resupinat, intervallo inter utramque navem nonnihil, tardiuscule tamen, contracto. Cum autem intelligeret rex voces inter eos exaudiri posse, eum inclamans: mane; tu ingens ille vir! inquit, neque diutius remigando subterfuge; te enim convenire volumus. Vector lintris respondet: sic tu plerosque amicos nostros tractas, ut nullum me teneat tui conveniendi desiderium, quare te minime præstolabor, nam multi circa unum erunt, si invicem conveniemus. Tum hos versus lusit:

Nimium procul abest meus
canus, strenuus frater, cujus magnus est
animus et in laborando navitas;
ater Serpens navigio ruens advolat.
Si hic ambo cani fratres
adessemus, Hardradi filii,
non fugeremus; Serpens labitur,
qua spumat æstus albescens maris.*)

*) Ordo: *Errinn*[1]) *hárr*[2]) *hlýri minn, með stóra*[3]) *hyggju*[4]) *ok vinnur*[5]) *stendr offjarri; dökkr ormr brunar at nökkva. Ef vœrim hèr báðir tveir hárir*[6]) *bræðr Harðráðs synir, þá vit*

Nihilo minus fugeretis, quamvis duo essetis; tu vero quis es? ait rex. Ille contra: nihil ad te; sicque perrexit:

Vibrant sex decades remorum
coram te uno, in margine
navalis lateris; pauci regum te
præstantiores in terra reperientur.
Undæ rotator unus et alter
versatur manibus meis
in tabulæ ceto; hac de re
obnitens cogor cedere.*)

Tu tamen nunc quoque cedes, ait rex. Non hoc vitio mihi vertendum, ait ille, si hac vice, ut verosimile est, decrepitus senex tot tamque fortibus juvenibus cedere cogar; neque tamen eo magis in vestram potestatem veniam. Tum subito exsiliens, abjectis remis, lintrem sub-

---

nè flœðim. [7]) *Snâkr skriðr, þar er brim blîkir.* Extat in Sk. 2, p. 185.

[1]) *œrin* S. [2]) *hâr*, excelsus, Sk. [3]) *stjóra* F. S. Sk. [4]) *higgin* F.; *hrygginn*, dorsum, B. [5]) *vinir*, amici, Sk. forte scribendum est *vinnr*, metri c. pro *vinr*, amicus. [6]) *harar* Sk., principes; *harrar*, id. S. [7]) *við sjáflœði* æstu maris crescente Sk. pro *þá-flœðim*.

*) Ordo: *Sex týgir úra leika fyrir þèr einum á barðe borði byrhreins a); fár gramr* [1]) *mun fremri á foldu. Einn ok annar* [2]). *öldu sveipr b) leikr mèr í greipum á borðs barða c); því verð ek bœginn* [3]) *d) vœgja fyrir* [4]). Est in Sk. 2, p. 185.

[1]) *grímr* Sk. [2]) *önnur* B. C. [3]) *bœgni*, pertinaciæ, S. ad ad metrum durius. [4]) *þèr*, tibi, add. B. C.

a) *barð*, prora; *barðs borð*, margo proræ, pro margine navali; *byrhreinn*, maclis venti, navis (qs. animal velivolum). Pæne junxeram *byr-barðs hreinn*, navis velivola, i. e. serpens longus, oppositus *borðs barða*, navigio, remis agitato *b*) i. e. remus. *c*) i. e. in navi; *barði*, ceti genus, v. Spec. Reg. in voce *barð-hvalir*. *d*) vel *bœginn* id. qv. *boginn*, incurvatus, quod cum *öldu-sveipr* connectendum, ut innuat remigantis studium et alacritatem.

vertit, sicque e manibus eorum elapsus est, nunquam iis postea visus.

Rex Olavus Thorem convenit.

Cap. 213. Accidit die quodam, cum rex Olavus austrum versus littora præterveheretur, vento secundo per sudum leniter spirante, ut vir in rupe quadam littorea consistens eos inclamaret, rogans, ut vecturam sibi in regni partes australes concedere ne dedignarentur. Rex Olavus cursum Serpentis ad rupem direxit, ubi stabat vir, qui navem conscendit. Huic viro magna erat statura, species juvenilis, facies pulcra, barba rubra. Qui cum in Serpentem venisset, ludificationes et luctationes cum regiis militibus agitare cœpit, et si virium experimentum facere vellent, in ludendo difficilem se illis præbuit; idem magnam lætitiam prætulit, quare illius commercio delectabantur, utrisque joco cavillatoria et ridicula verba invicem jactantibus; ille regios milites miselos et imbecillos homines sibi videri dixit: „indignique estis, inquit, qui tam egregium regem comitemini, aut navem tam pulcram defendatis; tum vero sane hic draco strenuis defensoribus instructus est, cum eum Raudus Valens possideret, qui vix talibus, qualis ego sum, ad defensionem uteretur ob virium imbecillitatem, sed tantum oblectationi et consiliis adhiberet; jam vero vos præ me mendici estis. Regii, ecquid memoratu dignum priscarum vel novarum rerum referre haberet, interrogant. Ille se opinari significavit, pauca scitaturos, quæ non explicare posset. Tum illi eum ad regem ducunt, hominemque multiscium esse ostendunt. Rex: dic nobis, si nosti, priscam aliquam relationem. Ille con-

tra: Inde ordior, domine! quod hæc terra, quam nunc prætervehimur, priscis temporibus a gigantibus quibusdam inhabitata fuit; isti vero gigantes casu nescio quo repentina morte perierunt, ita ut prope omnes interirent, neque ulli præter duas feminas superstites essent. Deinde homines ex regionibus orientalibus hanc terram incolere cœperunt, quos ingentes illæ feminæ magnum in modum infestarunt et inquietarunt, resque hominum terram inhabitantium eo usque afflixerunt, donec incolæ id consilii ceperunt, ut hancce rubram barbam auxilii ergo invocarent; ego vero malleum arripui meum, ambasque ad necem percussi; hujus autem terræ incolæ eum morem tenuerunt, ut me auxilii ergo invocarint, si cujus opus haberent, donec tu, rex! omnes fere amicos meos nunc exstirpavisti, quod sane ultione dignum esset. Cum hæc diceret, vultu in risum contorto, ad regem respexit, atque eodem momento se e navi tanta celeritate excussit, ac si telum mari injiceretur, nunquam illis postea visus. Tum rex ad suos: ecce audaciam diaboli, qui palam in conspectum nostrum lucido die venire sustinuerit; ex qua re apparet, quanta cautione christianos semper uti oporteat adversus insidias impuri illius spiritus, qui semper obsidet, ut genus humanum clam palam decipiat, et bonam agendi rationem hominis malitia sua et invidia pervertat; deinde vero eum, qui persvasionibus et illecebris ejus obsequitur, seque totum male agendo ejus potestati tradit, ad æternos cruciatus captivum secum ducit. Ideo nos semper victoriæ signo sanctæ crucis deo nostro sacremus; nam signum crucis, firma in deum fide factum, tutissimum est præsidium et tegimen tam animi

quam corporis, adversus omnes inimicos visibiles et invisibiles, ut evidenter comperimus, cum hoc signo in Dania nos insignivimus, longo ante tempore quam sacro fonte abluti essemus. Sed quamvis diaboli nos palam tentare audeant, tamen nihilo minus christianos homines valde metuunt, qui quidem fiduciam in deo et sancto baptismo reponant, uti nunc apparuit, nam hi inimici, qui nunc et nudius tertius nobis apparuerunt, quam maxime nos devitarunt, ut primum, qui essent, intellexímus. Quapropter summis laudibus dominum nostrum Jesum Christum ejusque sanctam crucem sine fine celebrare debemus. His actis rex Olavus iter suum perrexit, donec in provinciam Naumdalensium pervenit, ubi aliquamdiu cum copiis suis commoratus est, cum ventus austrum versus tendenti adversum teneret. Regii vero milites fama acceperunt, Naumudalum gigantibus et malis geniis magis infestatum esse, quam alia Norvegiæ loca, quod malum adeo increbuerat, ut inde a morte Hakoni satrapæ ibi vix tuto habitari posset. Rex autem Olavus regionem christianam reddidit, et multum hiberni temporis ut sæpius in Thrandheimo consumsit; multos itaque regios cupido incessit cognoscendi, utrum hoc falsum an verum esset. Fama est, duos regis satellites clam noctu ex navibus in terram egressos, cum aliquantisper per tenebras ivissent, ignem in antro quodam ardentem conspexisse, eo festinasse, multosque gigantes igni assidentes et invicem confabulantes animadvertisse; ante ostium antri consistentes deprehendisse, unum esse principem omnium horum inimicorum (dæmonum). Is infit: num nostis, huc ad terram appulisse cum copiis regem Olavum Tryggvii filium? Qui si

hic aliquamdiu commoratus fuerit, aliquid negotii nobis facessiturum, perquam est verosimile. Ceteri dæmones responderunt: nimium bene novimus, quantas nobis molestias et læsiones plus una vice intulerit, ex quo hanc terram ingressus est, qui nunquam nos quiescere sinat, qui amicorum nostrorum quosdam interfecerit, quosdam alio pejore modo malitiosis calumniis ab nobis abstraxerit, nos vero ipsos a propriis sedibus ejecerit; quin incertum adeo, an nobis vel in hoc exilio tutis ab eo esse liceat; væ nostræ infirmitati, qui ejus ulcisci nequeamus injurias nobis amicisve illatas; verum tamen quicquid poterimus, faciemus, ut hos proximos tractus hominibus habitatos vastemus. Tum princeps eorum: dicite mihi, quid negotii inter vos agitaveritis. Excepit unus ex impuris spiritibus: In Gaulardalo haud procul ab Hlada [1]) habitavi, amicitia Hakono satrapæ juncta, qui mihi bona munera dedit; cum vero regno et vita indigne privatus erat, hic crudelis vir in locum ejus successit. Die quodam cum aulici regis ludum instituerant tam prope a sedibus meis, ut tumultus et clamores eorum pati desperarem, clam ludo eorum me immiscui, unumque eorum manibus comprehensum ita adfeci, ut brachium ejus frangerem; sequenti vero die crus alterius fregi, qui ambo læsis membris ab ludo abscesserunt; tertio die rex ipse advenit, et inter eos ludere cœpit; ego vero etiam accessi eo consilio, ut alicui homini noxam inferrem. Cum ibi plerique homines mihi essent ignoti, neque alium ab alio dignoscerem, unum durius apprehendi; is vero manus contra inferens, utrasque la-

[redacted]

[1]) Hlada, B. C. S.

teribus meis tanta vi adegit, ut non majore dolore affecta essem, si illæ manus ex candenti ferro factæ fuissent; tum ille magno robore adeo me premere cœpit, ut prope esset, ut ab ejulatu non possem abstinere; tamen ægerrime, admodumque adusta, manibus ejus elapsa sum, et ideo invita et nolens sedem meam deserere et in hunc locum me recipere coacta sum. Tum dæmonum alius: hoc de me referre habeo, quod speciem pulcræ feminæ simulans, sero vespere cœnaculum intravi, ubi rex Olavus magnificum convivium celebravit, omnibus convivis potu valde inebriatis; splendidum cornu, potione impletum, quam veneno miscueram multisque noxiis rebus quas regi infundere cogitaveram, manu tenens, ad abacum constiti, splendide vestita; rex, manu ad me porrecta, signum mihi dedit, ut ei propinarem; qua re non minus lætata, quam si jam vitam ejus in mea potestate haberem, ad eum accessi, pulcrum illud cornu afferens; ille vero, cum acceperat, in me superinfudit malum illud et venenum, quod ipsi bibendum dederam; elatum deinde cornu capiti meo tam duriter inflixit, ut læsioni inde acceptæ remedium nunquam sim inventura. Tum tertius impurus spiritus locutus est: haud absimile mihi accidit; honestæ feminæ pulcram speciem mentita, cubiculum Olavi sero vespere intravi, honeste vestita, ubi ille, pedes nudus, cruraque lineis feminalibus revinctus, sedebat, et ab altero latere episcopus; simul ingressa, pedi regis, qua vola est, pruritum excitare cœpi; rex, videns adstantem feminam venustam et pulcre ornatam, quæ ego fui, me advocavit et pedem fricare jussit; quod feci, donec regi somnus obrepere cœpit, cum vero rex cubile ingressus esset, pruritus pe-

dis, mea arte effectus, gliscere cœpit; ego in scabello considens pedem fricui, donec tam rex quam episcopus somno essent obruti; tum me super regem extendens, illum mea nociva potestate perdere necemque inferre cogitavi; sed rex, repente expergefactus, librum quendam tanta vi in caput meum incussit, ut cranium admodum collideretur, qua contusione ita affecta aufugi, ut exinde semper caput incline gestem, nunquam dolore vacuum. Quibus rebus visis et auditis, regii milites reverterunt et naves submisso gradu, ne quis expergefieret, petiverunt. Sequenti vero mane regi ceterisque omnibus rem omnem indicarunt. Rex locutus est: hæc omnia, quæ dicitis, vera sunt; et signo est, quod, defricato crure, episcopum somno excitavi, rogans ut inspiceret, an pes illæsus esset adventu dæmonis ejus, qui tam aperta et tamen humani corporis adscititia specie cubicula nostra intraverat. Cum vero episcopus accedens inspexit, livida macula, veneno inflata, reperta est; quam episcopus cum carne et sangvine exsecari fecit, quod vulnus postea sanatum cicatricem reliquit, in pede, quoad vixero, conspiciendam. Omnes tamen meos milites prohibeo, navibus in terram noctu egredi, sola hac curiositate, citra omnem necessitatem, ductos. Posthæc rex Olavus et episcopus cum lectissimis copiis omnes vicinos tractus cum crucibus et sacris reliquiis obibant; aquà consecratà saxa rupesque, valles et colliculos sparserunt, et sacris precibus et dei auxilio, quacunque iverunt, omnia loca a malis geniis et impuris spiritibus purgarunt, et hoc pacto omnes incolas ab inimicorum (dæmonum) servitute & oppressione liberarunt. Quibus gestis naves petierunt, et iter austrum versus

secundum littora persecuti sunt; rex Olavus hoc autumno copias suas in Thrandheimum duxit, et Nidarosiam contendit, quo res ad hiemandum necessarias contraxit.

Hrollaugus, filius Rögnvaldi Mœriarum satrapæ, Islandiam adit.

Cap. 214. Rex Haraldus pulcricomus, toto Norvegiæ regno potitus, cum convivio ab Rögnvaldo Mœriarum satrapa adhiberetur, ibi lavit et capillos pecti fecit; tum Rögnvaldus satrapa comam ejus totondit, cum ante per decem annos intonsa fuisset, quare Haraldus Lufa (crines horridus) est appellatus; deinceps vero satrapa cognomine eum insignivit Haraldumque pulcricomum appellavit, quod nomen omnes, qui eum videbant, veritati maxime congruere fatebantur; ornabat enim eum non minus magna, quam decora coma. Post aliquanto rex Haraldus, copiis mare occidentale traductis, ingentia ibi regna sub ditionem suam redegit, ut supra memoratum. Ante vero quam ab occidente reverteret, Orkneyas et Hjaltlandiam Rögnvaldo satrapæ, in expiationem cædis filii [1]), dono dedit. Sigurdus, frater Rögnvaldi, his terris satrapæ dignitate præfectus est; Rögnvaldus vero satrapa cum Haraldo rege orientem versus in Norvegiam rediit, et in præfectura sua se continuit. Cum vero Rögnvaldus satrapa cædem Sigurdi satrapæ, fratris sui, audivisset, Halladum filium occidentem versus in Orkneyas misit; is vero sese e dignitate satrapæ devolvebat [2]), quo facto orientem versus ad patrem rediit. Hic Rögnvaldus satrapa,

[1]) in mercedem tonsoriam, F. S. [2]) exemplum hujus moris vide Heimskr. vitam Har. Pulcric: cap. 8.

convocatis filiis, quæsivit, quis eorum satrapæ munere in Orkneyis fungi vellet. Thorer eum rogavit, ut ipse decerneret, utrum occidentem versus proficisceretur nec ne. Satrapa infit: bene dicis; tu vero vir es legitime natus et ad principis munera idoneus, quare heic hæreditatem et præfecturam, me mortuo, accipies. Tum processit Rolfus, seque ad hanc profectionem paratum ostendit. Satrapa respondet: hoc quidem bene in te cadit, utpote virum robustum et artis naturæque bonis apprime instructum; majorem tamen insolentiam bellandique cupiditatem animo tuo versari puto, quam ut tantillis regnis in otio regendis acquiescas. Tum Hrollaugus patrem quæsivit, an vellet, ut occidentem versus in insulas proficisceretur. Satrapa respondet: non tu satrapa evades, quippe qui bellicoso ingenio non præditus sis; verosimillimum puto, vias tuas (fata tua) ad Islandiam ducere, in qua terra nobilis existimabere posterisque beabere; nulla vero heic loci tua fata sunt. Tum satrapa Einarem filium suum occidentem versus in Orkneyas misit. Hrollaugus ad Haraldum regem accessit, et apud eum aliquamdiu versatus est, nobilemque conjugem sibi conciliavit. Deinde in Islandiam cum uxore et filiis transmittens, ex alto ad orientale promontorium Hornum advectus, columnas primariæ sedis e navi in mare emisit, quæ quidem ad terram in Hornafjördo appulsæ sunt; ipse vero adverso vento occidentalem terram præterlatus, molestam navigationem et aquæ inopiam expertus est; in Leiruvago ad occidentalia promontoria terram nacti sunt; hic primam hiemem egit; tum accepta de columnis suis fama, illuc concessit; alteram hiemem sub Ingolfsfello egit; hinc orientem versus in

Hornafjördum profectus, primo sub Skardsbrekka in Hornafjördo, deinde Breidabolstadi in Fellshverfo habitavit. Hrollaugus erat vir magnæ auctoritatis et ámicitiam cum rege Haraldo bene coluit, nunquam vero peregre abiit. Haraldus rex Hrollaugo bonum ensem, cornu cerevisiæ [1]) et armillam auream quincuncem dono misit; eundem ensem deinceps Kolus, filius Sidu-Halli, possedit, Kolskeggus vero polyhistor cornu viderat. Hrollaugus communi consensu aboriginum in quadrante orientali genere et prosapia nobilissimus habetur. Ille pater erat Össuris Keiliseli, qui uxorem habuit Groam, filiam Thordi Illugii filii, quorum filia erat Thordisa, mater Halli de Sida. Hallus de Sida uxorem habuit Joreidam Thidrandi filiam; horum filius erat Thorsteinn, pater Magni, patris Einaris, patris Magni episcopi. Alter filius Siduhalli erat Egill, pater Thorgerdæ, matris Jonis Sancti episcopi. Thorvardus Halli filius fuit pater Thordisæ, matris Jorunnæ, matris Halli presbyteri, patris Gizoris, patris Magni episcopi. Yngvilda, filia Halli de Sida, fuit mater Thoreyæ, matris Sæmundi presbyteri polyhistoris. Thorsteinn, filius Halli, fuit pater Gudridæ, matris Joreidæ, matris Arii presbyteri polyhistoris. Thorgerda Halli filia erat mater Yngvildæ, matris Ljoti, patris Jarngerdæ, matris Valgerdæ, matris Bödvaris, patris Gudnyæ, matris Sturlæsoniorum.

Adventus Thorhalli in Islandiam, et mors Thidrandi.

Cap. 215. Thorhallus nominabatur vir

[1]) *gullbúit*, auro ornatum, add. B.

Norvegia oriundus; is in Islandiam venit regnante Hakono satrapa Sigurdi filio, terramque nactus in ostio Syrlæki, Hörgslandi habitavit. Thorhallus erat vir sapiens et futuri præsagus, Thorhallusque vates appellatus est. Thorhallus vates Hörgslandi habitavit, quo tempore Siduhallus Hofum in Alptafjördo incoluit, quos inter intima viguit amicitia; Hallus quavis æstate, cum ad comitia equitaret, Hörgslandi hospitabatur; Thorhallus quoque sæpe illuc orientem versus ad convivia commeavit, ibique multum fuit. Filius Halli, natu maximus, Thidrandus nominatus est, pulcherrimæ formæ optimæque spei juvenis, quem Hallus præ omnibus filiis suis amavit. Thidrandus, quam primum per ætatem licuit, mercatus gratia commeavit; idem, quocunque veniret, gratiosissimus, nam et corporis animique dotibus erat instructissimus, et erga omnes homines affabilis et comis. Accidit æstate quadam, ut Hallus ex comitiis reveniens Thorhallum amicum suum orientem versus domum ad se invitaret; Thorhallus posterius aliquanto quam Hallus orientem versus profectus est, quem Hallus, uti solebat, summa comitate accepit; ibi Thorhallus per æstatem commoratus est, monente Hallo, ne prius domum rediret, quam convivio autumnali peracto. Hac æstate Thidrandus, tum octodecim annos natus, in Berufjördum appulsa nave, domum ad patrem se contulit, cujus, ut ante sæpius, magna fuit admiratio, vulgo dotes, quibus eum ars et natura ornaverat, laudantibus; Thorhallus vero vates, quando homines eum quam maxime laudarent, semper tacuit. Tum Hallus, cur id faceret [1]), quæsivit: mihi

[1]) cur fieret: „quod tu tam pauca de rebus filii mei Thidrii (Thidrandi) loquare," add. B.

enim, inquit, omnia, quæ dicis, Thorhalle! memorabilia videntur. Thorhallus respondit: non ea de causa hoc facio, quod mihi tu illeve ulla in re displiceatis, aut quod minus quam alii homines intelligam, eum esse juvenem maxime insignem: hujus vero rei ea causa est, quod multi sunt, qui eum laudent, quam quoque laudem multo nomine meretur, quamvis parvi se ipse faciat; fieri autem potest, ut brevis fructus ex illo percipiatur, et tum satis te desiderium filii tam bene exculti tanget, etsi laudes virtutum ejus animo non præceperis. Procedente vero æstate, Thorhallum magna incessit tristitia. Hallo interroganti, quæ hujus rei causa esset, Thorhallus: ab hoc autumnali convivio, quod heic celebrabitur, periculum metuo, præsagit enim animus mihi, vatem hoc convivio interfectum iri. Hanc rem procurare possum, ait paterfamilias; est mihi bos decem annorum, quem vatem appello, quod plerisque aliis bobus prudentior sit; hic ad convivium mactabitur; neque est, cur hæc res te angat, nam cogito, hoc meum convivium, ut cetera, tibi aliisque amicis meis honori futurum. Thorhallus respondet: atqui hæc non ideo protuli, quod vitæ meæ metuerem, sed res multo majores et mirabiliores præsagio, quas hac vice non aperiam. Hallus: nihil ergo impedit, quo minus hoc convivium differatur. Thorhallus: hoc loqui minime proderit, nam quod constitutum est, fiet. Circa initium hiemis convivium erat apparatum; pauci eo aderant convivæ, cum tempestas cœli esset ventosa et turbulenta; cum vero vesperi convivæ accubuissent, Thorhallus infit: convivas oratos velim, ea in re mihi obsequi, ut nequis hac nocte

domo egrediatur; magnum enim imminebit incommodum, si hoc monitum non observatum fuerit; et quicquid tandem præstigiarum obvenerit, ne advertant homines animum, nam mali erit ominis, si quis responsum dabit. Hallus convivas rogavit, ut dictis Thorhalli obsequerentur, non enim fallentur, inquit; atque integris rebus (ut ajunt) facillime consulitur. Thidrandus ad mensam ministravit, et se in ea re, ut aliis rebus, facilem et modestum præbuit. Cum autem cubitum iretur, Thidrandus lectum suum advenis commodavit, ipse vero in sedili ad tabulatum extremus decubuit; plerisque autem somno oppressis, ab ostio salutatum est, omnibus dissimulantibus; quod ter iteratum est. Tum Thidrandus exsiliens loquitur: hæc magna ignominia est, quod omnes homines heic somnum simulent, cum credibile sit, adesse convivas; ille sumto in manum gladio, egreditur, videt neminem; quare ei in mentem venit, convivarum nonnullos equis domum ad ædes prævectos, deindeque obviam reliquis revectos esse; tum lignorum struem accedens, audivit, in aream a borea equitari, viditque novem adesse feminas, omnes nigris vestibus indutas, strictos gladios manibus gestantes; audivit et in aream ab austro equitari, novemque alias adesse feminas, omnes lucidis vestibus indutas, et candidis equis insidentes. Cum vero Thidrandus in cubiculum regredi vellet, quid vidisset indicaturus, feminæ nigrum indutæ amictum citius aderant, eumque armis impetebant, illo se viriliter tutante. Multo vero post Thorhallus evigilans, rogavit, an Thidrandus vigilaret; cumque nullum responsum acciperet, nimis tardatum [1]) esse, signi-

[1]) nimis dormitum S.

ficavit. Tum homines ædibus exibant, luna splendente cœloque gelido, et Thidrandum saucium jacentem invenerunt, et in domum retulerunt; de casu suo rogatus, hæc omnia, quæ viderat, enarravit, eodemque mane circa lucis ortum mortuus, tumulo, more ethnico, illatus est. Captata deinde est de itineribus hominum fama, neque ulli Thidrando inimici fuisse comperiuntur. Hallo, Thorhallum interroganti, quid sibi vellet portentosum hocce eventum, ille: nescio, inquit; conjectare vero licet, has non alias fuisse feminas, quam gentis vestræ deas tutelares; religionis mutationem posthac subsecuturam auguror, brevique meliorem religionem in hanc terram introductum iri. Puto autem, has deas vestras, quæ præsenti religioni faverunt, mutationem religionis prænovisse, vestramque familiam ab se separatum iri; ideoque ægre ferentes, nullum sibi tributum a vobis ante solvi, hoc in suam partem sumsisse [1]); meliores autem deas, auxilium ei ferre cupientes, hac vice impeditas fuisse; cæterum ex his deabus vos cognati, qui hanc ignotam acceptabitis religionem, quam illæ portendunt, cuique favent, commodum capietis. Sic hoc eventum, ut Thorhallus dixit, multæque similes res portenderunt subsequens illud fortunatum tempus, quo omnipotens deus populum, qui Islandiam incoluit, propitiis oculis respicere dignatus est, eundemque populum, operà ministrorum suorum, a diutina diaboli servitute liberare, et in communionem æternæ hæreditatis adoptivorum filiorum suorum, secundum promissa sua, omnes ducere,

[1]) hunc idcirco (in s. p.) sumsisse, B; Thidrandum (in s. p.) sumsisse, C.

qui ei fideliter bonorum operum constantiâ servire vellent: neque minus in his rebus aliisque multis, quæ relationibus celebrantur, inimicus totius generis humani aperte ostendit, quam invitus missam fecerit rapinam suam et populum, quem omni ante tempore captivum tenuit hæreticis vinculis maledictorum simulacrorum; cum sævam iram in eos, in quos potestatem exercuit, subito impetu tanto magis incitaret, quanto propiorem sensit suam ignominiam dignamque rapinæ jacturam. Hallus vero casum Thidrandi filii tam ægre tulit, ut diutius Hofi habitare voluptati non esset, quare rem familiarem Thvattaam transtulit. Accidit aliquando, cum Thorhallus vates Thvattaæ adesset, ad convivium ab Hallo invitatus, Hallusque in clauso cubiculo, cui fenestra inerat, Thorhallus vero in alio lecto cubaret, ut mane quodam, cum ambo vigilabant, Thorhallus subrideret. Hallus infit: qui subrides? Thorhallus: ideo subrideo, inquit, quod plurimos video colliculos aperiri, singulaque animantia, tam parva quam magna [1]), vasa colligere et migrationem facere. Et paulo post res, quæ mox dicentur, acciderunt.

Thangbrandus in Islandiam venit et christianam religionem prædicat.

Cap. 216. Rex Olavus Tryggvii filius, cum per duas hiemes Norvegiæ præfuisset, Thangbrandum presbyterum in Islandiam misit; hic nave profectus Selvagos in Alptafjördo boreali tenuit. Incolæ vero, sentientes, Thangbrandum sociosque christianos esse, nec cum illis

[1]) et omne animans suum quodque fascem, et parvos et magnos (scil. fasces) parat, C.

colloqui, neque eos ad portum deducere vicinique habitatores nullam iis benevolentiam, nullum auxilium præstare voluerunt. Hoc tempore Sidu-Hallus Thvattæ habitavit; ei iter fuit boream versus in Fljotsdalum, necessariorum negotiorum causa. Cum vero austrum versus reverteretur, Thangbrandus obviam ei profectus est, eumque accedens honorifice salutavit, et adventus sui causam ostendit, addens, mandasse Olavum regem, ut sibi, nave forte in Austfjördos appellenti, patrocinium subministraret, cujuscunque sibi opus foret. Porro Thangbrandus Hallum rogavit, ut navem in portum deduceret, aliasque res necessarias sibi prospiceret. Hallus amice et benevole postulata ejus et mandata Olavi regis accipiens, e vestigio misit, qui navem Thangbrandi in Leiruvagum in Alptafjördo australi deveherent, ibique subducerent, ubi exinde Thangbrandi portus vel navale dicitur; totum autem navis onus domum in aream prati stercorati vehi fecit, ibique tentorium illis constituit, in quo per hiemem habitarunt; hic Thangbrandus missas cecinit, remque divinam administravit. Hallus benevolum se Thangbrando omnibusque sociis ejus præbuit, et omnes res necessarias illis subministravit, sæpiusque in tabernaculo apud eos commoratus est. Hoc autumno, pridie festum Michaelis, Thangbrandus ad horam tertiam pomeridianam suis vacationem laborum indixit; Hallus paterfamilias aderat et interrogavit, cur tunc ab opere cessarent? Thangbrandus respondet: hanc diem, quæ sequitur, sacram solemnemque agimus, in gloriam sancti dei archangeli Michaelis. Hallus: quibus virtutibus Michael ornatus, qualisque fuit externa ejus conditio? Thangbrandus: Michael

homo non fuit, sed spiritus, ab omnipotente deo princeps aliorum angelorum constitutus, quibus id negotii dedit, ut contra diabolum ejusque hostiles ministros militent, omnesque christianos fideles ab impurorum spirituum noxiis telis protegant; Michaeli quoque archangelo præcipua a deo data est potestas in animas christianorum hominum ex hac vita decedentium, ut has accipiat et in excelsam Paradisi quietem introducat, ubi ineffabilis lætitia et voluptas, honor, felicitas et omnimodæ prosperitatis copia est, nulla vero mors, neque dolor, neque morbus, neque ægritudo aut miseria, sed infinita salus et æterna vita. Ibi homines, qui pura vita et justitia creatori suo serviverunt, angelorum ministerii consortes fiunt; eorum pulcritudo et splendor lucem solis, eorum fragrantia omnem dulcedinem, eorum celeritas, robur et efficacia omnem humanam cogitationem superat: eorum innumera multitudo in novem ordines divisa est, quorum quisque peculiare ministerium a deo constitutum habet; alii in id constituti potestateque aucti sunt, ut impugnent & profligent omnem efficaciam malignorum spirituum, qui semper humano generi insidiantur et nocere cupiunt; alii morbos et mala adversasque res hominibus defendunt, vicissim perfectam salutem, omnesque alias res necessarias et commodas mortalibus tribuentes; alii semper coram deo stant: universis tamen commune studium atque opera est, deum omnipotentem indesinenter laudare, illumque svavisonis vocibus ineffabiliter delectare; qui pulcritudinem ejus semper admirantes, faciem ejus æternum intueri cupiunt. Cum hæc hisque similia diserto ore Thangbrandus perorasset, Hallus: intellectum captumque hu-

manum superare mihi videtur, quam gloriosus sit ille, cui tales tamque eximii angeli ministrent. Thangbrandus respondet: certe sanctus spiritus te ethnicum hominem tali intelligentia imbuit. Cum vero paterfamilias et domestici vespere discubuissent, Hallus ad suos: Thangbrandus et socii ejus hanc diem, quæ cras veniet, solemnem agent, in honorem uni deorum suorum; nunc vobis vacationem facio, ut hanc diem festam agatis unacum illis; facta quoque nobis est copia accedendi, videndique et audiendi hujus religionis ritus. Mane sequente Hallus, cum se vestibus induerat, tentorium adiit, et cum omnibus domesticis suis extra stetit; qui cum audirent sonitum sistrorum, audirent et dulces cantantium hominum voces, nunquam prius sibi audita, magna capti sunt admiratione, majori vero etiam, cum inter missam canendam clericos viderent eximio cultu ornatos, candelasque claris luminibus lucentes, dulcissimumque animadverterent thuris odorem. Hallus domum veniens, domesticos quæsivit, quales ipsis ritus christianorum hominum viderentur? Respondent, admodum tersum et pulcrum sibi videri, quicquid ritus eorum et cultus divini animadvertissent. Thangbrandus presbyter assiduis admonitionibus Hallum hortatus est, ut ad mores religionis christianæ se converteret. Hallus aliquando Thangbrandum allocutus: ita res habet, ut heic domi meæ duæ sint vetulæ, ætate admodum provectæ, senio adeo debiles et imbecillæ, ut lectum nunquam relinquant, neque se ipsæ movere valeant; jam te jubebo vetulas baptizare; et si post baptismum motus paulo facilior aut aliquantula languoris levatio illis contingat, neque pejus se habeant tanta mo-

tione et in aquam immersione, tum sane perspicuum mihi est, multam religioni christianæ vim adesse, et ipse cum tota mea familia baptismum subibo. Deinde Hallus vetulas hortatus est, ut religionem a Thangbrando prædicatam acceptarent; quæ postquam triplicem presbyteri de fide in trinitatem (ex symbolo apostolico) quæstionem affirmarant, et invitationi ad baptismum ut mos est annuerant, Thangbrandus eas in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti baptizavit et albis vestibus induit. Postridie, cum Hallus paterfamilias eas adiens interrogaret, quomodo se haberent; ambæ simul respondebant, inquientes: perbene; artus quidem nostri senectutis vitio sunt imbecilli, verum tamen omnis evanuit languor et incommodum, quæ nos diu gravarunt et male habuerunt, perfecta quiete corporisque valetudine vicissim succedentibus, singula enim membra artusque nostri molles et faciles sunt ad suum quæque ministerium, perinde ac si denuo repubuerimus; omnis quoque evanuit sollicitudo et timor et vitæ tædium, sed nos voluptatem et delicias et spem certam æterni gaudii futuræque felicitatis consecutæ sumus. Quibus dictis lætatus paterfamilias, fidem accepturum se spospondit Hallus omnisque familia sua, die lunæ, pridie paschatos, in rivulo prope villam baptizatus est; tum ei rivulo Thangbrandus nomen imposuit, Thvattaamque (amnem lavacri) appellavit, ex quo rivulo villa deinceps denominata est. Æstate Thangbrandus cum Hallo comitia universalia adiit; cum vero austrum versus tendentes in Skogasveitam venerunt, ethnici virum, arte magica tum temporis in Islandia famosissimum, nomine Galdra-Hedinem, mercede conduxerunt, ut arte sua

efficeret, ut Thangbrandus presbyter a terra dehiscente vivus absorberetur. Hallus cum suis Kirkjubæi hospitabantur; ibi tum Surtus habitavit, filius Asbjörnis, filii Thorsteinis, filii Ketilis fatui [1]), qui atavi alius post alium Kirkjubæi habitarunt, omnesque christiani fuerunt, ibi enim homini ethnico nunquam habitare licuit. Eodem autem die, quo Hallus et sui Kirkjubæo equis vecti sunt, terra sub Thangbrando dehiscebat, in cujus hiatum equus ejus delapsus submersusque est, ipse vero ex equo evadere, vitæque consulere potuit, dei comitumque auxilio adjutus. Thangbrandus ad comitia adfuit, et multos homines ex quadrante Sunnlendingorum et borealibus tractibus quadrantis Eyfirdingorum ad veram religionem convertit; qui religionem acceptare volebant, eum septemtrionem versus ad se invitarunt; quare eadem æstate boream versus in Öxarfjördum profectus, multos homines baptizavit in rivo prope Skinnastados, qui exinde Thangbrandi rivus appellatur; ad Myvatnum autem homines [2]) in Thangbrandi lacuna baptizavit; sed propter impotentiam Eyfirdingorum longius versus occidentem procedere non potuit, quam ad Skjálfandafljotum. Eadem æstate Thangbrandus et Gudleifus filius Arii, filii Maris, Veturlidium poëtam [3]) in Fljótshlida, propter probrosa carmina et blasphemiam interfecerunt; qua de cæde hoc carmen exstat:

Tentator noxæ scutorum rubiginis,
in australi parte insulæ,

---

[1]) sapientis, S. [2]) unum hominem, B. C. [3]) hæc in textu islandico male sunt distincta; sic lege: *ok Guðleifr Árason, Másssonar, Vetrliða skáld*, quod in versione expressi; vide Njal. cap. 101 & 103.

sufflaminare orationes cœperat
numinis officinæ precum pulvini.
At explorator morum, pugnæ peritus,
letiferum insonare malleum fecit
pilei telluris incudi
sui poetæ, Veturlidii.*)

Alius quoque vir, nomine Thorvaldus infirmus, Heyvikiæ in Grimsneso habitans, probrosum carmen de Thangbrando & Gudleifo pepegit; Thorvaldus infirmus hos versus Ulfo Uggii filio misit:

---

*) Ordo: *Reynir randa ryð-fjónar a), suðr á landi, getr* [1]) *halda í sig b) tolum* [2]) *Baldrs* [2]) *bœnar beðs smiðju c). Hjaldrs-snjallr siðreynir lèt morðhamar gjalla í hattar-hauðrs steðja d) Veturliða, sínu skáldi e).* Extat hæc stropha in Sk. 2, p. 218, cfr. Njal. c. 103.

[1]) *beðs* Sk. alienum h. l.; *gat*, B. quod, ut rectius, in vers. expressi. [2]) *sigtolum*, una voce Sk. [3]) sic B. C. Sk. *Baldr* A, nam *s* a sequenti *s* absorptum est.

a) i. e. pugnator, vir, nempe Veturlidius. Perinde est, utrum jungas *fjón randa ryðs*, res, ferrugini clypeorum noxia, an *ryð-fjón* de cote intelligas, nam cos scuti, apposita est gladii appellatio; hujus *reynir*, qui utitur gladio. *b*) *sig*, f. libramentum, onus externæ vi oppositum; *halda í sig* h. l. id. q. *halda í taumi*, retinere, impedire. Sequens *tolum* accipio pro *tölum*, quam quoque lectionem sex codd. in Njala citati agnoscunt, a *tala*, oratio. In Njala enim l. c. Veturlidius interfectus dicitur, quod novæ religionis prædicatoribus obstitisset. *c*) i. e. presbyteri, nempe Thangbrandi; *bœnar beðr*, pulvinar precum, s: pulvinus, in quem procumbunt precantes; hinc *bœnar beðs smiðja*, officina (domus) pulvini precantium, ædes sacra, hujus *Baldr*, presbyter, qs. ædipotens, antistes. *d*) *hattar hauðr*, solum pilei, caput; *steðí*, incus, appellationi additur, cum mox ante ensem per malleum cædis (*morðhamar*) expresserit poeta, ut tropus a re fabraria desumtus sibi constet. *e*) *sínu skáldi*, i. e. qui de ipso carmen (puta probrosum) fecerat. Similis locutio occurrit infra: *mun-at urþvegin ora aldan sínu skáldi*.

Indubium mittam mandatum
Odinianæ pellis Lupo,
Uggii filio (quocum mihi
rectore gladiorum nulla simultas),
ut hostem nefarium deorum,
qui probra conjicit in numina,
gigantis sonipedi objiciat,
ego vero objiciam alterum.*)

*) Ordo: *Ek mun senda Úlfi Yggs* [2]) *bjálba* [2]) *a), syni Ugga, einhendis boð b), (mèr er stygglaust við stúla styri), at hann reki argan* [3]) *guðs varg, þann er of regni* [4]) *c) við rögn, fyrir Geitis* [5]) *gnýfeta d), en ek* [6]) *annann.* Cfr. Sk. l. c. & Njal. c. 103.

[1]) *Uggs*, id. Sk. [2]) *bjálfa*, id. metro convenientius, B. *bjálka*, trabis (ɔ: clypei) Sk. contra metrum. [3]) *annan*, B. contra metr. [4]) *reigimn*, nimis contumax (est) erga deos, Sk. [5]) *getis*, Sk. [6]) *ek mun*, pro *en ek*, B. eod. sens.

a) *Yggs bjálfi*, pellis, indumentum Odinis, lorica; *úlfr Yggs bjálfa*, lupus loricæ, quæ sævit in loricas; h. l. præliator strenuus; neque sane insolens est hic usus vocis, nam haud absimili modo *Ylgr* & *Ulfr*, lupus, de Thjassio, raptore Idunnæ, adhibetur apud Thjodolfum Hvinensem, Edd. Snorr. p. 119, 2: 183, 1, in quo loco lupi rapacitas, ut in nostro sævitia, ad personam agentem transfertur. *b*) *einhendis*, adv. una manu, i. e. certo, non hæsitanter, h. *einhendis boð*, nuntium certum, indubium. *c*) *regna*, a *regn*, id. q. *rigna*, act. effundere; *of*, h. l. πλεονάζει, potest tamen pro substantivo accipi, nimietas, it. vehementia, h. l. impotentia, intemperantia linguæ. *d*) *gnýfeti*, verbo tenus, sonipes, i. e. equus; eadem forma, qua *háfeti*, ἀερσιπους, *málfeti*, certis passibus gradiens. *Geitir*, nom. gigantis; equus gigantis h. l. mihi est lupus, quamvis hujus locutionis exemplum rarissime occurrat, cum fere semper lupus appelletur equus gigantidis. In anomalis appellationibus erit hic locus, item alter, in Vita Ormi Storolfi filii, ed. Skalh. in appendice hist. Olavi Tryggv., „*at veita sylg gráðugum Geitis blakki*", avido lupo potum præbere, quam tamen anomaliam sine dubio veritus Sk. Thorlacius aliter locum explicavit in Spec. 7mo, pag. 115. Lupo aliquem objicere, est feris dilaniandum dare, interficere.

Talia pluraque pejora composuit. Ulfus contra hoc carmen cecinit:

Admitto nullus immissum loco
dentium pelecanum ab Odine
divini laticis, quamvis nuntium
mittat peritus permeator gurgitis.
Periculosumne est cultori equi,
antennis præditi, inhiare muscæ?
(perversa res in vulgus emanat)
permagno provideo malo.*)

---

*) Ordo: *Ek tekkat* [1]) *við tanna hvarfs hleypi-skarfi a) Harðbarðs* [2]) *vea fjarðar* [3]) *b), þót sannreynir* [4]) *sunds* [5]) *sendi boð. Er-at* [6]) *ráfúka rœki c) mínligt* [7]) *gína at flugu; raung mál eru á gángi; ek sè við miklu meini.* Sk. & Njal. l. c.

[1]) *gekkat* B., quod ex prava lectione *rs T* ortum videtur. [2]) *harðbands* F.; *harbarði* Sk. hoc ordine: *þótt-sendi boð Harbarði náfearðar*, quamvis — nuntium mittat pugnatori (o: mihi). [3]) *sjá fjarðar* S.; *nafearðar* Sk. id. q. *naf-jarðar*, clypei, o: præliatori. [4]) *sannreynir*, peritus tentator, B. F. S. Sk. [5]) *sundr*, Sk. [6]) *eðr*, Sk. [7]) *mínlíkt*, id. Sk.

a) *hvarf*, locus in orbem positus; *tanna hvarf*, locus dentium, os; *hleypiskarfr*, pelecanus, qui immittitur, periphrasis muscæ magicæ, cui superstructa esse videtur phrasis, *at koma flugu í munn einum*, muscam ori alicujus immittere, i. e. percussorem subornare, ad insidias adhibere, unde *flugumaðr*, percussor subornatus; *gína við (at) flugu*, ore aperto muscam admittere, venditare se aliorum insidiis. Dicuntur Lappones muscas habere incantatas, pyxidi inclusas, quas adversum eos, quibus nocere velint, emittant, cfr. voc. Norv. *ganflover*, qs. *ganflugur*. *b*) i. e. poetæ, nempe Thorvaldi. *vea fjörðr*, latex deorum, mulsum poeticum, ut *díar fjörðr*, Sn. Edd. p. 96. str. 5. *Harðbarðr* id. q. *Harbarðr*, nom. Odinis, periphrasi inservit: numen mulsi poetici, o: poeta. *c*) *rá-fúkr*, equus antennæ, navis; *rœkir*, qui colit, operam navat, vel qui propellit (a *reka*); viri appellatio honesta, quam ad ipsum poetam retulerim ob sequentia, *at gína at flugu*.

Deinde Thangbrandus et Gudleifus Thorvaldum infirmum juxta Hestlækum occiderunt. His gestis Thangbrandus orientem versus ad navem suam pertendit, et se ad peregre abeundum paravit; cumque se paraverat, in altum provectus est, quod in propaganda religione parum se proficere intelligebat, pauci enim fuerunt, qui modesto lubentique animo præcepta divina et sacrum baptismum acceptarent, cum multi essent, qui sola malitia reniterentur, et christianismum quoquo modo supprimere conarentur. Cum vero Thangbrandus haud procul in altum provectus esset, adversa incidente violenta tempestate, ad Islandiam repulsus, ad Havniam in Borgarfjördo haud procul a Hvitaa navem appulit. Tum Gizur Albus filius Teiti, Ketilbjörnis filii, Skalholti habitavit; qui cum accepisset, Thangbrandum adversa tempestate repulsum esse, eum ad se invitavit; cum quo Thangbrandus per hiemem Skalholti fuit. Hac hieme navis Thangbrandi violento turbine sublata nonnihilque oblisa est; qua de re Steinunna mater Refi poetæ hos versus fecit:

Thorus loco movit longum
piraticum animal Thangbrandi,
concussit et feriit latera
magnaque vi adflixit solo.
Schidium piratici soli posthac erit
mari pernavigando inutile;
vehemens enim procella, ei
tributa, in assulas id redegit.*)

et mox alterum carmen subjecit:

*) Ordo: *þáre brá or stað laungu* [1]) *þvinnils* [2]) *dýri þángbrands, hristi ok beysti barðs borð ok laust við jörðu; skíð Ätals grundar mun-at síðan sundfœrt um sjá; þviat hart kregg, kent hánum, tók leggja* (sc. þat) *í spánu.* [2]) Cfr. Sk. & Njal. l. c

Occisor subolis giganteæ
diffregit totum marinum bisontem
tintinnabuli custodis; dii
pepulerunt accipitrem fluviatilem.
Non æquoreum Christus gradarium
tuitus est, cum premeretur ratis;
mediocriter modo, puto, deum
custodiisse maclidem piratæ.*)

Hanc navem Thangbrandus reficiendam curavit, et Jarnmeisem (corbem ferream) appellavit, ex qua nave (promontorium) Jarnmeisshöfdius denominatus est. Proximo vere Thangbrandus occidentem versus in Bardastrandam in Breidafjördo profectus, aliquamdiu apud Gestum Oddleifi filium commoratus est. Hic peregrinus quidam athleta eum ad certamen circense provocavit; cui cum paratissimum se Thangbrandus ostenderet, athleta: non audebis adversus me ad certamen singulare prodire, si prius meam in exercitiis peritiam videris. Thangbrandus, quænam ista exercitia essent,

---

1) *löngum*, ex longa (statione), Sk. 2) Sic dedi sec. Njalam & Skaldam; *þummils* A.; *þumils* Sk.; *þrimils* S.; *þyrnils* B., quæ omnia pravæ lectioni deberi videntur. 3) *spánum* S. Sk. insolentius.

*) Ordo: *Mellu mög fellandi* 1) *braut allan móstalls vísund* 2) *fyrir bjöllu gæti; bönd rúku val strandar. Kristr hlífði* 3) *málfeta* 4) *varrar* 5), *þá er kneyfði knörr* 6); *ek hygg, at guð gætti Gylfa reins* 7) *at einu* 8) *lítt.*

1) *í* add. F. Sk. prave. 2) *vishund* Sk. 3) *hlífði*; tuitus est (ironice) Sk. 4) *málinfeta*, B. C. pedes metallo (ferro) munitus, equus; *vallfeta*, campum (tractus navalis) percurrentem, i. e. navem, Sk. 5) *varar*, tractus navalis, Sk. 6) *knar* Sk. sc. pro *knör*. 7) *teins*, lignum o: navim, B. 8) *it einu* prave S.; *hið eina*, unicum illud numen, Sk. quod glossema sapit, nam *at einu* est id. q. *at eins*, solummodo, tantum, cfr. OH. c. 86. H. c. 3. Vigagl. c. 11, 16.

quæsivit. Cui ille: ignem ardentem nudis pedibus pervado, nullis armis protectoriis usus in mucronem teli mei procumbo, quorum utrumvis mihi nihil quicquam nocet. Thangbrandus: id penes deum erit. Tum ingens ignis accensus, et a Thangbrando consecratus est, quem athleta intrepidus calcavit, pedibus valde exustis; deinde in gladium, cujus cuspidem crucis signo Thangbrandus ante sacraverat, procubuit, continuoque exspiravit. Cujus morte non solum christiani, sed etiam ethnici lætati sunt; hic enim athleta multis hominibus magnam vim et oppressionem intulerat. Tum Gestus et homines quidam ibidem in occidente, qui amici Gesti erant, prima signatione se initiari passi sunt. Postea Thangbrandus navem suam repetiit, et hac æstate Jarnmeise vectus peregre abiit, prosperaque navigatione usus, ex alto Thrandheimum tenuit, et ad Nidarosiam navem suam constituit.

Kjartan, Gissur et Hjaltius pro Islandis deprecantur.

Cap. 217. Nunc primo dicendum est de Islandis, qui hac eadem æstate ex Islandia profecti Nidarosiam venerunt, paulo ante quam rex Olavus ab Halogia redierat. In his erat Haldor, filius Gudmundi Potentis ab Mödruvallis; alter Kolbeinn, filius Thordi Freyi pontificis, frater Flosii incendiarii; tertius Svertingus, filius Runolfi pontificis; uni navi præfuit Thorarin Nefjulfi filius; hi omnes ethnici fuerunt, multique alii tam nobiles quam ignobiles. Hi homines, qui modo memorati sunt, cum rex Olavus ab Halogia rediisset, cum suis quisque navitis occasionem abnavigandi capta-

verunt, certiores quippe facti, regem omnes homines ad religionem christianam amplectendam vi cogere. Quare, cum rex ad oppidum venerat, ethnici naves ex amne propulerunt, et per exteriora sinus navigarunt, sed adversum nitente vento, ad Nidarholmum repulsi sunt. Regi Olavo allatum est, naves aliquot Islandorum ad insulam in ancoris stare, quos omnes ethnicos esse, regisque conspectum fugere velle. Rex continuo, missis ad eos viris, abitum prohibuit, jussitque ut naves ad oppidum constituerent; illi morem gerunt, naves tamen non exonerant. Eo tempore nobiles magnique momenti viri, qui Thangbrandi presbyteri svasu christianam acceptaverant religionem, ab Islandia venerant, Gizur Albus, & Hjaltius Skeggii filius de Thjorsardalo; Hjaltius uxorem habuit Vilborgam, filiam Gizuris Albi; ea autem Hjaltio causa fuit peregrinandi, quod eadem æstate in comitiis generalibus hos versiculos fuderat:

Nolo deos irridere,
canis mihi Freya videtur,
sanè ex duobus alter est,
Odin aut Freya, canis.

Hoc probrosum carmen Runolfus pontifex, filius Ulfi, Jörundi filii, primus arripuit, irrisionemque deorum appellavit, et hac de causa Hjaltium reum agebat, quamvis haud facile esset, magis hac in re contentionem et præpotentiam, quam justitiam ostendens; nam tantum apud populum gratia valuit Hjaltius, ut Runolfus judicium tenere non posset, prius quam illud in ponte Öxaraæ constituebat, extremitatesque pontis armata manu occupabat; tum vero nemo potuit acquiri, qui actionem litis recitare vellet, priusquam vir quidam, no-

mine Thorbjörn, filius Thorkelis ex Guddalis, in judicio considerét; in quo judicio Hjaltius propter irrisionem deorum relegationis pœna dignus censebátur, quare eadem æstate navem, quam domi suæ Thjorsardali faciendam curaverat, ad peregrinationem paravit; cumque se paraverat, navem secundum Rangaam occidentalem in mare deduxit; cum autem secundo amne deveherentur, vir ingentis staturæ et ignotus ipsis per ripam decurrebat, obtento clypeo prætentaque hasta. Hjaltius suspicatus, hunc hominem ad se mitti, eum inclamat, dicens: tu ingentis staturæ vir! manipulus stipulæ [1]) pectori tuo inest, quà cor esse debuisset. Ille vero hastam in Hjaltium emisit tanta vi, ut clypeum, objectum sibi, transverberaret; tum hominem comprehendunt. Hjaltius quæsivit, quis esset, quisve illum ad hoc misisset? Ille respondit: Narvius mihi nomen; ab Runolfo pontifice missus sum, cæde tua liberationem pœnæ mihi conciliaturus. Cui Hjaltius: salutare tibi dabo consilium, quo immunitatem pœnæ tibi concilies; mecum peregre ito, mihique comitem te adjunge. Annuit ille. Deinde Gizur et Hjaltius in Norvegiam trajecerunt, et regem Olavum Nidarosiæ convenerunt; quos rex, cum christianos esse comperisset, comiter accepit.

De liberalitate (libertate) Hjaltii et Gizuris.

Cap. 218. Paulo post Thangbrandus, nuper ab Islandia redux, regem Olavum convenit, eique retulit, quam indigne ab Islandis exceptus fuisset: quidam, inquit, probrosis carminibus me diffamarunt, quidam me occidere

[1]) *hjálmvisk*, ejusd. sensus, forte a *hjálmr*, nubilarium, B.

voluerunt, tandem in comitiis universalibus condemnatus fui; atque certum est, populum istius terræ, paucis exceptis hominibus, nunquam religionem acceptaturum. Qua Thangbrandi criminatione rex gravi ira commotus, concionem classico convocavit, omnesque Islandos, qui ibi in oppido aut navibus essent, adesse jussit, quorum omnes, qui ethnici fuerunt, comprehensos partim facultatibus spoliari, partim membris truncari aut occidi jussit; principes autem Islandorum, Kjartan Olavi filius, Gizur, Hjaltius, et alii, qui christiani erant, regem adeuntes pro Islandis deprecati sunt, inquientes: nunquam facies, domine rex! ut fidem migres promissorum tuorum; dicis, neminem ita iram tuam in se provocaturum, quin ei condones, si gentilismo renunciet baptismumque suscipere velit; nunc omnes, qui heic adsunt, Islandi veram fidem suscipere sacroque fonte lavari volunt, nos autem rationem inveniemus religionis in Islandiam introducendæ; adsunt heic ex Islandia multi potentiorum virorum filii, quorum patres huic rei magno studio patrocinabuntur. Oportet autem, ubi cum ethnico et atroci populo res est, non magis prudentibus consiliis uti, quam æquitate et lenitate, quibus rebus sæpe plus proficitur, quam crudelitate et impetu animi, eoque magis, quo acriores et fortiores sunt adversarii. Thangbrandus autem paucis in Islandia hominibus amicum se præbuit, neque ignotum tibi est, domine! quas res, dum hic apud te fuit, molitus sit; idem illi in patria nostra ingenium fuit, nam vehementia et violentia usus est, et homines, si quibus infensus erat, occidit; sed homines, qui quidem ibi sunt, talia non æquo animo ferebant. Cum vero Hjaltius et Gizur,

longa et diserta usi oratione, finem dicendi fecissent, rex infit: quinam aut qua familia orti sunt hi diserti viri? Gizur respondet: Hjaltius est filius Skeggii, filii Thorgeiris, filii Eilifi, filii Ketilis unimani x); mater Hjaltii fuit Thorgerda, filia Hlifæ, filiæ satrapæ Thorfeinaris, filii Rögnvaldi Mœriarum satrapæ; ego vero, ait Gizur, filius sum Teiti, filii Ketilbjörnis, filii Ketilis, viri potentis, Naumudalo oriundi; mater Ketilbjörnis dicta est Æsa, filia satrapæ Hakoni Grjotgardi filii; mater Teiti, patris mei, ait Gizur, fuit Helga, filia Thordi barbati, filii Hrappi, filii Björnis Bunæ, filii Vedrgrimi; mater autem mea erat Alofa, filia Bödvaris, filii Vikinga-Karii; Bödvar fuit frater Eiriki de Ofrostadis, avunculi tui, rex! et equidem cognationis, qua tibi junctus sum, gratia feci, o rex! ut Thangbrandum ad me invitarem, cum alii eum odio habebant. Rex vero, cum se tam propinqua cognatione Gissurem attingere intelligeret, mitem se præbuit, et sic fatus est: vos affines apud me hiemem transigetis, liberaliter habiti, et si mihi operam vestram et curationem pollicemini, ut voluntas nostra de introducenda in Islandiam religione christiana confiat, omnes isti Islandi liberi a nostra potestate sunto, exceptis quatuor, quos nobilissimos appellatis, quos ego obsides habebo, donicum religio christiana in Islandia aut lege recepta, aut omnino rejecta fuerit; quo nomine virum designo, qui aliquamdiu apud nos commoratus est, cujus virtutem perspectam habemus, Kjartanem Olavi filium, nec non Haldorem Gudmundi filium, Kolbeinem filium Thordi Freyi pontificis, et Svertingum

x) *einarða*, confidentis, B.

Runolfi filium; sic penes patres et cognatos horum virorum erit, utrum eos cum honore remittam, an interfici jubeam. Hjaltius et Gizur responderunt: libenter hæc in nos recipere volumus, pro salute Islandorum; præcipue autem oramus, ut in homines, quos obsides designavisti, bene consulas. Rex: quibus necessitudinibus his hominibus, pro quibus tam enixe deprecamini, impliciti estis, utrum affinitatis, an cognationis? Vir quidam Norvegus, oppido petulans, quæstionem regis excipiens: hac æstate, inquit, comitiis universalibus Islandorum interfui, cum Runolfus, pater hujus Svertingi, Hjaltium reum peregit. Tum Thangbrandus respondit, hunc hominem continuo tacere jubens: tu vero, inquit, o rex! bene in Hjaltium et Gizurem consule, quippe qui factis probaverint, se sæpe illis bene facere, qui injuriam faciant, quod Hjaltius quoque, ante quam ab Islandia navigaret, ostendit, cum comitem sibi adjungeret hominem, qui in caput ejus subornatus erat, eumque occidere voluit. His actis omnes Islandi, qui nondum baptizati erant, sacro fonte abluti sunt; Gizur et Hjaltius hiemem apud Olavum regem peregerunt, summo honore et familiaritate regis fruentes; obsides quoque cum Olavo rege per hiemem fuerunt, laute habiti.

[*De Hallfredo.*]

Cap. 219. Sed illuc revertamur. Hallfrödus Difficilis-pœta duas hiemes in Gothia transegit, jamque ethnicam uxorem duxerat; is Olavum Svionum regem adiit, et coram illo epos intercalare, quod de ipso fecerat, recitavit, bonaque munera retulit; posteriore autem hieme, qua Hallfrödus in Gothia fuit, accidit

noctu, ut rex Olavus ei per quietem appareret; vultu irato, hæc ad eum dicens: male facis, qui christianam, quam professus es, religionem admodum rejeceris; nunc e re tua magis est, ad me cum familia tua te conferre, fidemque redintegrare tuam. Hallfrödus, somno expergefactus, admodum suspiravit. Ingibjargæ, quid somniavisset, quærenti, ille, quid in somnis vidisset, enarrat: „quid vero tibi videtur, inquit, num mecum ad Olavum regem proficisci vis? plurima tua in me merita et benevolentiam sic potissimum potero remunerare, si te ad veram religionem et salutem perduxero". Illa respondet: hoc non præter opinionem accidit, te illuc abreptum iri; cum autem intelligam, hanc [1]) esse meliorem ea, quam prius tenuimus, ego vero tecum proficiscar. Fuit illis anniculus filius, nomine Audgisl, bonæ spei; illa vero etiam tunc uterum ferebat. Proximo vere ab oriente iter ingrediuntur; Audgisl una cum illis profectus est; itinere non prius desistunt, quam autumno in Thrandheimum ad Olavum regem pervenerunt. Rex Hallfrödum bene accepit, nonnihil tamen incusavit, quod tam diu inter ethnicos homines versatus fuisset, ethnicamque duxisset uxorem. Rex presbyterum constituit, qui ei pœnas decerneret, Hallfrödus vero omnia præscripta lubens subiit. Paulo post Ingibjarga, uxor ejus, puerum peperit, cui Hallfrödus nomen suum dedit Hallfrödumque appellavit; postea Ingibjarga amboque filii eorum baptizati. Deinde rex Hallfrödo: insuper tibi deus placandus est, quod fidem pæne deserueris; quare velim, ut epos restitutionis componas, sicque animo tuo con-

[1]) religionem, add. B. C.

sulas, neque artem, quam tibi deus concessit, male loces. Hallfrödus se hoc lubenter facturum ostendit, et pro virili regis voluntati in cæteris omnibus pariturum. Proximam hiemem apud regem peregit, magni ab eo æstimatus; tum *epos restitutionis*, carmen elegantissimum, componere cœpit. Hac hieme Ingibjarga, uxor ejus, decessit, cujus mortem Hallfrödus in magno damno ponebat.

[*De Eiriko Rufo et Leifo Fortunatto.*]

Cap. 220. Thorvaldus dictus est vir, filius Asvaldi, filii Ulfi, filii Öxna-Thoreris. Thorvaldus et Eirikus Rufus, filius ejus, ab Jadare in Islandiam ob cædes patratas aufugerunt, Islandia tum temporis passim habitatoribus frequentata. Primo Drangis in Hornstrandis habitaverunt; hic Thorvaldus mortuus est; tum Eirikus uxorem duxit Thorhildam, filiam Jörundi Atlii filii, et Thorbjargæ Knarrarbringæ, quam tum in matrimonio habuit Thorbjörn Haukdalensis; filius Eiriki & Thorhildæ vocatus est Leifus. Tum Eirikus a borea profectus, Eirikstadis juxta Vatzhornum habitavit; post cædem vero Eyolfi Sauris et Holmgaungu-Hrafnis, Eirikus ex Haukadalo relegatus, occidentem versus in Breidafjördum concessit et Eirikstadis in Öxneya habitavit; is Thorgesto de Breidabolstado columnas tricliniares commodavit, quas cum repeteret, non recepit; hinc ortæ inter Eirikum et Thorgestum contentiones et prælia, de quibus agit Eiriki historia. Stur Thorgrimi filius, Eyolfus de Svineya, Thorbrandus ex Alptafjördo et Thorbjörn Vivilis filius causæ Eiriki patrocinabantur; Thorgestianarum partium erant filii Thordi Gelleris filii et Thorger de Hitardalo. Eirikus in conven-

tu Thorsnesensi relegationis damnatus, navem oceano paravit in Eiriksvago; quem, ut se paraverat, Styr ac cæteri extra insulas prosecuti sunt; his Eirikus indicavit, se terram quæsiturum, quam vidisset Gunnbjörn, filius Ulfi Krakæ (Graculi), cum Islandiam occidentem versus tempestate præterlatus, Gunnbjörnis scopulos inveniret; significavit se, si terram invenisset, amicos revisurum. Eirikus ab Snæfellsneso navigavit, terram invenit et ad eam appulit, eo loco ubi Midjökulem (montem glacialem medium), qui nunc Blaserkus appellatur, vocavit; inde austrum versus terram prætervectus est, quærens sicubi loca habitabilia se offerrent. Primam hiemem in Eirikseya, prope a media provincia orientali, transegit; proximo vere in Eiriksfjördum delatus, ibi sedem elegit; ea æstate [1]) in provinciam occidentalem concessit [2]); alteram hiemem in Eiriksholmis ad Hvarfsgnipam transegit; tertia vero æstate boream versus ad Snæfellum usque processit, et Hrafnsfjördum intravit, tum se in intimum Eiriksfjördi recessum penetrasse contendit; hinc itaque reversus, tertiam hiemem Eirikseyæ, quæ Eiriksfjördum præjacet, egit. Sequenti æstate Islandiam remeavit, navemque in Breidafjördum appulit; terram, quam invenerat, Grœnlandiam (viridem terram) appellavit, [dicens, fore, ut pulcritudo nominis multos ad terram visendam invitaret. Eirikus insequentem hiemem in Islandia fuit, proxima autem æstate Grœnlandiam habitatum concessit, et Brattahlidæ in Eiriksfjördo sedem fixit. Homines rerum periti (historici) perhibent,

[1]) eodem autumno, C. [2]) ibique multis locis nomina dedit, add. B. C.

æstate, qua Eirikus Rufus Grœnlandiam habitatum concesserit, viginti quinque naves ex Breidafjördo & Borgarfjördo eodem cursum instituisse, quarum quatuordecim eo pervenisse, quasdam adversis ventis repulsas esse, quasdam interiisse; hoc factum quindecim hiemibus antequam religio christiana in Islandiam legibus introducta sit [1]).

Leifus Eiriki filius Norvegiam adit.

Cap. 221. Elapsis quatuordecim hiemibus, ex quo Eirikus Rufus Grœnlandiam habitatum concessit, Leifus, filius Eiriki a Grœnlandia in Norvegiam profectus, in Thrandheimum autumno venit, cum rex Olavus Tryggvii filius ab Halogia venerat. Leifus navem suam ad Nidarosiam constituit, regemque Olavum continuo adiit; hunc rex, ut alios ethnicos homines, qui eum adierunt, religionem christianam amplecti jussit; quod cum facile ab Leifo impetraretur, ipse unacum omnibus navitis baptizatus est, et hiemem apud regem, liberaliter habitus, transegit.

Cædes Gudrödi regis Eiriki filii.

Cap. 222. Rex Gudrödus, filius Eiriki Blodöxæ et Gunnhildæ Regum-genetricis, expeditionibus piraticis in terris occidentalibus operam dederat, ex quo ab Hakono satrapa pulsus patria et regno Norvegiæ cesserat. Dicta

[1]) ab signo ([) dicens, terram colonorum votis satisfacturam, enumerans multa egregiaque terræ commoda (rerumque ubertatem), largam capturæ copiam, tam phocarum et cetorum, quam rosmarorum, ursorum, multorumque aliorum animalium; hoc modo homines cupidos reddere volens eo (secum ad terram) proficiscendi, B. sic & C. præter voces uncinis inclusas.

autem recens æstate, cum rex Olavus Tryggvii filius quatuor hiemes Norvegiæ præfuerat, Gudrödus, ab Anglia vectus, cum multis navibus bellicis in Norvegiam venit; cum autem Norvegiæ littoribus se jam vicinum autumavit, versis austrum versus velis, ubi Olavum regem non adesse speravit, orientem versus in Vikiam tetendit; postquam ad terram appulit, prædas agere incolasque subigere occepit, postulans, ut se regem sumerent. Incolæ, videntes se ingenti exercitu peti, pacem sibi ac fœdera pacti, regi promittunt, se misso per regiones nuntio populum ad frequentia comitia convocaturos, nam malle se illum sumere regem, quam militum vexationem ferre; heic longa temporis mora postulata, dum missus nuntius totam Vikiam ad indicenda comitia circumiret. Poscente tum rege commeatuum tributa, dum duraret ea mora, maluere coloni regi convivia struere, quamdiu opus esset et promulgatio comitiorum postularet. Accepit conditionem rex, qui parte copiarum comitatus ad convivia regionem cœpit obire, altera parte navium custodiæ relicta. Fratres, Thorger et Hyrningus, regis Olavi affines, ejus nomine præfecti erant constituti totius Vikiæ, cum rex ipse in boreali regni parte ageret; hos coloni, per nuntium, qui cursorem comitialem longe prævertebat, certiores fecere de populationibus Gudrödi regis, et quem in locum res tum deducta esset; quæ cum fratres accepissent, sagittam belli nuntiam per omnes partes dimiserunt, copias per omnes finitimas provincias ad se evocarunt, naves comparaverunt et boream versus in Vikiam contenderunt; noctu cum copiis locum adierunt, ubi rex Gudrödus convivabatur, eumque igne ferroque aggressi sunt; ibi Gud-

rödus rex cecidit et comitum ejus plerique. Deinde copias, navium custodiæ relictas, adorti sunt, quorum pars interfecti, pars in diversa fugiendo elapsi. Tum omnes filii Eiriki & Gunnhildæ mortem oppetiverant. Quibus rebus cognitis, rex Olavus factum laudavit, et affinibus suis pro celeritate consilii et virtute sua gratias egit.

Struitur navis Serpens Longus.

Cap. 223. Hieme proxima post reditum ex Halogia, juxta rupem Hladhamros [1]) fecit rex Olavus navem fabricari, ceteris navibus, quas tunc habebat Norvegia, longe majorem, cui fabricandæ positas substructiones etiam hodie cernere licet. Thorbergus [Skafhaugi filius dictus est vir, qui navis proræ puppique fabricandæ et ornandæ præerat [2]), cujusque primo in construenda nave præcipuæ partes fuerant; sed præter eum plurimi erant alii, quidam lignis cædendis, quidam dolandis poliendisque, quidam clavis ferreis cudendis, quidam materiæ advehendæ aliisque rebus necessariis; omnia ad fabricam necessaria sollicite exquisita et curata erant; navis ipsa longa et lata, eximia laterum altitudine, ex lignis fabricata insignis magnitudinis. Cum vero in lateribus navis contabulandis erant, necesse erat Thorbergo, negotiis ita ferentibus, domum suam ire, ubi diu moratus est. Redux invenit latera navis utrimque perfecta; eadem vespera accessit rex, comite Thorbergo, contemplatum navis structuram, cui parem vel magnitudine vel pulcritudine navem longam se

[1]) *Hlaðhömrum*] *Hlaðhólmum*, B. [2]) a signo ([) Skaföxis filius - & Thorgeir Stukar pr. p. fabr. præfuerant, F.

nunquam vidisse fatebantur omnes; postea in oppidum reversus est rex. Mane autem sequentis diei, redeuntibus ad navem rege atque Thorbergo, aderant quidem ibi fabri, sed stabant omnes, a labore cessantes. Causam rogante rege, cur eo modo se gererent, respondent, male corruptam esse navem, progressum nempe aliquem ad alterum navis latus, a prora ad celsam usque puppim, lateri iteratos, unum post alterum, ictus oblique inflixisse. Tum rex propius accedens, videt vera esse, quæ narrabant; mox pronuntiavit, juramento interposito, istum hominem morte culpam luiturum, si regi innotesceret, qui invidia stimulatus navem corrupisset: „qui vero auctorem mihi prodere potest, ampla munera a me reportabit.“ Tum Thorbergus: dicere possum, domine! quis hoc facinus commiserit. Rex: spero quoque, non alii potius quam tibi ita faventem fore fortunam, ut rei certior ejusque index mihi fieri possis. Enimvero auctorem tibi, domine! prodam; ipse feci. Rex: itaque tu, damnum reparato, ut in integrum aut melius restituatur navis; secus culpam capite lues. Postea accedens Thorbergus, latus navis securi ita limavit, ut ictuum omnium vestigia exscinderentur. Quo facto fassus est ipse rex ceterique qui viderunt omnes, latus navis, quod cædendo limaverat Thorbergus, multo pulcrius apparere; quare navis alterum latus eodem modo parare eum jussit rex, addita prolixa gratiarum actione. Tum in navi fabricanda Thorbergo præcipuæ fuerunt partes, donec absolutum est opus; navis ista fuit draco, ad instar draconis formata, quem rex Olavus ab Halogia duxerat, eum tamen hæc navis magnitudine, nec non structuræ arte et elegantia longe præ-

stabat; hunc draconem vocavit rex Serpentem Longum, illum autem, Serpentem Brevem. Habebat Serpens longus triginta [1]) quatuor interscalmia, caput et caudam penitus auro ornatam, latera altitudine naves oceano idoneas æquantia; hæc navis omnium, quas habuit Norvegia, diligentissime maximoque sumtu structa fuit.

Cap. 224. Rex Olavus et regina Thyria hiemem proximam, postquam rex Halogiam christianam reddiderat, Nidarosiæ sedem habuerunt. Præcedente æstate prolem marem enixa fuerat regina Thyria, ab ea atque Olavo rege procreatam, infantem ingentem et magnæ spei, cui nomen avi materni Haraldi imposuere. Maximo hunc amore amplexi sunt rex et regina, læti sperantes fore, ut adultus paterni regni hæreditatem adiret; at vix annum a nativitate superstes fuit, magno utriusque parentum dolore mortuus. Ea hieme apud Olavum regem magna Islandorum multitudo est commorata, ut supra demonstratum, multique alii nobiles viri. Aulam tunc temporis sequebatur Ingibjarga, Tryggvii filia, soror regis Olavi, eximiæ pulcritudinis femina, humanitate, in vulgus affabilitate, animo constanti et virili commendabilis et gratia valens; caros habuit omnes Islandos, qui tum in aula degebant; notissimus vero ipsi erat Kjartan Olavi filius, utpote qui cæteris diutius apud regem fuerat commoratus; ille quoque assiduo ejus colloquio delectabatur, feminæ quippe & sapientia & eloquentia insignis. Erat rex Olavus hilaris semper animi atque læti erga suos, multusque ac diligens in iis quærendis, quæ ad mores et in-

[1]) viginti, B.

stituta pertinebant principum virorum, si qui ad illum ex vicinis regionibus, Dania vel Svethia accederent. Hallfrödus Difficilis-poeta ea æstate a Gothia advenerat, aliquamdiu commoratus apud satrapam Rögnvaldum Ulfi filium, qui tunc ad imperium Gothiæ occidentalis accesserat. Ulfus pater Rögnvaldi, frater erat Sigridæ imperiosæ, ut adeo consobrini essent Olavus rex Svecus et Rögnvaldus satrapa. Multa de Rögnvaldo satrapa Hallfrödus coram rege loquebatur, dicens eum esse principem potentem, imperii diligentem, liberalem, animi fortem et in amicos fidum; quibus addidit, cupere satrapam, cum Olavo Norvegiæ rege amicitiam jungere, atque dixisse, sibi in animo esse, nuptias ambire Ingibjargæ Tryggvii filiæ. Eadem hieme de oriente ex Gothia venerunt legati Rögnvaldi satrapæ, qui regem Olavum Nidarosiæ convenerunt, ubi mandata satrapæ regi exposuere, eadem quæ antea meminerat Hallfredus, cupere satrapam regi Olavo sincera amicitia jungi, cupere etiam regis affinitatem atque nuptias sororis ejus Ingibjargæ; cujus rei atque legationis suæ, quod satrapæ negotia vere curarent, certa regi tulere indicia fideique tesseras. Eorum sermonem rex benigne accepit, respondens, magnam partem ipsius esse Ingibjargæ, de suo matrimonio pro lubitu statuere. Postea hac de re sororem rex allocutus rogavit ejus sententiam. Quæ hunc in modum respondit: aliquamdiu apud te commorata sum, atque in omnibus rebus provida tua cura, amore et honore usa, a quo in hanc terram pervenisti; nunc itaque connubium meum tuæ curæ committo, sperans fore, ut me homini ethnico nuptum non des. Ita rex futurum pollicitus, colloquium habuit

cum legatis, in quo statutum est, antequam discessere, ut Rögnvaldus satrapa sequenti autumno [1]) Olavum regem conveniret in orientalibus regni tractibus, si firmam cum eo jungere vellet amicitiam, ubi congressi hæc negotia ipsi inter se tractarent. Re ita constituta, legati satrapæ orientem versus remearunt; sed rex Olavus Nidarosiæ hiemem transegit, ingenti usus magnificentia ac magna hominum turba stipatus.

Cap. 225. Magna atque multiplex est misericordia omnipotentis dei in omnibus rebus, excelsaque ejus judicia, qui nunquam hominibus bene facere intermittat, sed benevola clementia eos, qui eum ante ignorarunt, invitet ad discendum, sentiendum et intelligendum, ad colendum et amandum servatorem suum, quemadmodum dominus noster Jesus Christus, filius vivi dei, multis in rebus ostendit, quamvis pauca recensebimus, verbi causa in prænuntiando adventu gratiæ et perfecti in Islandia christianismi; ipse quoque deus in narrationibus, quæ mox sequentur, ostendit, se fulcire & confirmare quodvis bonum [2]), in commodum eorum, qui faciunt, irritam autem et vanam reddere malorum hominum crudelitatem et malitiam, ut sæpe se ipsi perdant laqueis, quos aliis cogitarunt. Paulo post peregrinationem Fridreki episcopi et Thorvaldi Kodranis filii tanta in Islandia extitit annonæ caritas, ut magnus hominum numerus fame interiret. Tum vir quidam insignis valdeque crudelis, nomine Svadius, in Skagafjördo habitavit prædio, qui Svadastadi appellantur. Hic mane quodam multos pauperes homines con-

[1]) æstate, B. F. [2]) factum, add. B.

vocavit, jussitque, ut ingentem et profundam fossam haud procul a via publica ducerent; pauperes illi lætati sunt, sperantes se mercede laboris acrem famem aliquo modo exstingvere posse; vespere, percussa fossa, Svadius eos omnes in parvam quandam ædem duxit, deinde ædem clausit, et hominibus, qui intus erant, dixit: gaudeatis et lætemini, brevi enim finis erit miseriæ vestræ, proximo enim mane interficiemini et in hac ingenti fossa, quam ipsi fecistis, sepeliemini. Cum vero hanc crudelem sententiam audirent, mortem sibi destinatam esse pro mercede laboris, per totam noctem acerbo dolore lamentari inceperunt. Evenit, ut Thorvardus Christianus, filius Bödvaris sapientis, eadem nocte per provinciam, negotiis ita ferentibus, iter faceret, via primo mane prope eam domum ferente, in qua pauperes illi inclusi erant; quorum lamentabilem ululatum cum exaudiret, quæsivit, quid eos male haberet; cognita re, eos allocutus est: paciscamur inter nos, si mecum consentitis; quod si in unum deum, quem ego colo, credere, et quod jubebo, facere velitis, vos hinc liberabo; deinde Asum ad me concedite, ubi vos omnes sustentabo; illis se libenter facturos pollicentibus, Thorvardus obices forium removit, quo facto illi lætabundi ad domum ejus Asum celeri cursu properabant. Qua re animadversa, Svadius gravi ira commotus, magna celeritate se suosque armavit, et fugientes incitatissimo cursu eques persequitur, ut eos comprehensos interficeret; sed altera ex parte contumeliam, quam accepisse sibi visus est ab eo, qui eos liberaverat, crudeliter ulcisci decrevit, sed malitia et improbitas sua in ipsius caput recidit, nam si-

mulac admisso equo fossam prætervectus est, equo decidit, et humi collapsus continuo exspiravit; atque in eadem ipsa fossa, quam innocentibus paraverat hominibus, ethnicus ipse pœna dignus a comitibus suis humatus est, simulque canis et equus ejus, prisco more. Thorvardus ab Aso presbyterum, quem domi suæ habuit, jussit, ut pauperes illos, quos a morte, liberaverat, baptizaret et prima religionis elementa doceret; hos deinde omnes domi suæ aluit, dum annonæ caritas duravit. Plurimi tradunt, Thorvardum Bödvaris sapientis filium ab episcopo Fridreko fuisse baptizatum; sed Gunnlaugus monachus meminit, putare quosdam, eum in Anglia baptizatum fuisse, indeque templo, quod in villa sua extrui fecit, materiem vexisse. Mater Thorvardi, Bödvaris sapientis filii, nominata est Arnfrida, filia Slettubjörnis, Hroaris filii; mater Slettubjörnis dicta est Groa, filia Herfinni, filii Thorgilsis, filii Gormi, illustris e Svethia ducis; mater Thorgilsis Gormi filii fuit Thora, filia Eiriki regis Uppsaliensis; mater Herfinni Eiriki filii [1]) fuit Elina, filia Burizlavi regis ex Gardis; mater Elinæ fuit Ingigerda, soror Dagstyggi Risorum (gigantum) regis.

Cap. 226. Eodem tempore, de quo modo memoratum, in conventu a tribulibus constitutum est, propter famem annonæque summam caritatem licitum esse, homines senes, ut et debiles aut infirmos exigere, nihil his alimenti præbere, domoque interdicere; tunc vero acerrimæ nivales tempestates increpitabant, uren-

[1]) *Eirikssonar*] h. l. legendum est *Þorgilssonar*, Thorgilsis filii; alias haec genealogia conciliari nequit cum Landn. ed. Havn. p. 215.

tibus hibernis algoribus; tum in eo territorio summa auctoritas erat penes Arnorem Kerlingarnefem (vetulæ nasum), Miklabæi in Oslandshlida habitantem. Quem ex hoc conventu domum reversum mater accessit Thurida, filia Reſi de Bardo, eumque graviter admodum increpuit, quod tam crudeli sententiæ calculum addidisset, multa sanæ rationis veraque rei argumenta coram afferens, quam inauditæ et enormis inhumanitatis esset, patrem et matrem aliosve propinquos tam sævæ morti objicere. Certo scito, inquit, etsi ipse talia non perpetres, te tamen neutiquam insontem aut innocentem hujus scelesti homicidii esse, utpote aliorum principem et prætorem, si subditis tuis permittis, ut sæviente hieme parentes aut propinquos cognatos domo excludant, atque id quidem, etsi non permittas, si non omnibus viribus talibus immanitatibus resistis. Arnor, benevolum matris animum intelligens, incusationem ejus æqui bonique consuluit; animo hærens, quid faciendum statueret, id consilii cepit, ut domesticos ad proximas villas mitteret, qui omnes senes homines et domibus expulsos conquirerent et domum ad se veherent; quos omnes summa cura nutrivit. Sequenti die magnum colonorum numerum convocavit, cumque in conventum venisset, ita eos allocutus est: notum vobis est, quod publicum conventum paulo ante habuimus; deinde vero communem nostram necessitatem cum animo meo consideravi, et contendi cum immani illo consilio, de quo universi consensimus, licentiam permittentes necem inferendi senibus et omnibus, qui laborando vitam tolerare nequeant, eos vitæ alimentis prohibendo; atque me, a vera ratione

castigatum, tam malitiosi et inauditi facti pœnitet. Qua de re cogitans, consilium excogitavi, quod omnes sequemur et observabimus, nempe ut hominibus humanitatem et clementiam exhibeamus, ita ut quisque suos cognatos pro facultatibus adjuvet, præsertim patrem et matrem; qui vero consanguinitate remotiores, plus facultatibus valent, fame et vitæ periculo [1]) alios propinquos liberent; nos in id omnes nostras facultates et animalia domestica conferemus, ut vitæ tuendæ præsidia hominibus suppeditemus, potiusque in auxilium cognatorum jumenta nostra mactabimus, quam ut fame pereant, ita ut nemo colonus in villa sua plus quam duos equos retineat; accedit mala illa consvetudo, quæ heic invaluit, complures canes alendi; cum cibo, qui his datus est, multi homines vivere potuissent; agite vero, interficiantur canes, ut pauci aut nulli superstites sint, cibusque, canibus dari solitus, ad vitam hominum sustentandam adhibeatur. Ut rem paucis exponam, neutiquam permittimus, ut vestrum quisquam patri aut matri desit, si quo pacto illis opem ferre valuerit, qui vero ita facultatibus destitutus est, ut parentes aut propinquos sustentare nequeat, is eos Miklabæum ad me deducat, ubi eos alam; ille vero, qui potest neque vult proximis cognatis auxilium præstare, is sævas pœnas ultimasque conditiones a me referet. Agite ergo, carissimi amici & consortes, ne dicam subditi! in omnibus rebus humanitatem et misericordiam exhibeamus cognatis nostris, ne causam præbeamus inimicis nostris objiciendi nobis, quod nimiâ imprudentia propinquos nostros indigne tractaveri-

[1]) a fame et vitæ periculo tuti, etiam, B.

mus. Jam si is verus deus, qui solem creavit, ut mundum collustret et calefaciat, sique illi clementia et justitia bene probatur, ut fando audivimus, nobis suam misericordiam exhibeat, ut vere experiri possimus, eum creatorem hominum esse, totumque mundum gubernare et regere posse; quo facto illi fidem habebimus, nullumque deum colemus, præter illum unum, verum et beatum in sua potestate. Cum vero omnes, qui eo convenerant, omnia quæ exposuisset & locutus fuisset, sibi placere affirmaverant, conventum re ita gesta dissolverunt; acutissimum eo tempore frigus et gelu, ut ante diu fuerat, ventique boreales sævissimi; terra omnis glacie et durissima nivium congelatione crustata, ita ut exstaret nuspiam; sed proxima ab hoc conventu nocte, varietas cœli divina providentia tam cito mutata est, ut proximo mane omnis gelu sævitia evanuerit, ejusque loco tepidus auster et suavissimi siccorum ventorum flatus successerint; deinceps placida cœli tempestas existere, nives ad solis calorem liquescere, terra nivibus indies emergere, ita ut omnes pecudes brevi satis acciperent graminis in sui alimentum; quare omnes, qui clementi consilio ab Arnore dato obsecuti fuerant, magno gaudio lætabantur, statim vicissim accipientes largum divini muneris beneficium; hinc omnes curiales Arnoris Kerlingarnefis [1]) lubentes et læti unacum principe suo sanctam probitatem (sacros ritus) veræ religionis acceptabant, quæ paulo post illis prædicata fuit, nam paucis hiemibus interjectis religio christiana per totam Islandiam legibus recepta est. Arnor Kerlingarnef fuit filius Björnis, filii Thor-

[1]) tam viri quam feminæ, F.

di de Höfdio; mater Björnis nomine erat Thorgerda, filia Thoreris Himæ (desidis) & Fridgerdæ, filiæ Kjarvalis Irorum (Hibernorum) regis; Thordus de Höfdio erat filius Björnis Byrdusnjöris (arcæ-butyri), filii Hroaldi Hruki (acervi), filii Aslaki, filii Björnis Jarnsidæ (ferrei lateris), filii Ragnaris Lodbrokæ (hirsuti-braccæ).

Rex Olavus Thorhallo de Knapstadis apparuit.

Cap. 227. Vir dictus est Thorhallus, cognomine Knappus (globulus); is Knapstadis in Fljotis habitavit. Thorhallus erat nobili loco natus, majoresque ejus ibidem loci ante eum habitaverant; idem bene moratus fuit, quamvis ethnicus esset, ut in iis tractibus homines plerique; leprâ afflictus admodum languebat. Thorhallus, more majorum, simulacra colebat; magnificum stabat fanum haud procul a villa Thorhalli, quod Fljotenses communibus sumtibus instruxerunt, ibique epulas sacrificales quotannis instauraverunt. Nocte quadam cum Thorhallus in lecto suo dormiebat, somniavit, se foris constitutum, hominem videre lucidum ad villam candido equo advehi, regis ornatu insignem, hastam inauratam manu gestantem; quem cum appropinquare videret Thorhallus, subito metu correptus, in ædes reverti voluit, eques autem celeritate eum prævertens, equo desiliit et fores præoccupavit, dicens: timere noli, non enim meus adventus damno tibi erit, imme præsentia mea sanitatem et lætitiam tibi afferet, si consiliis meis obsequi vis; num adversa tua valetudine doles? atqui non est quod quærem, scio enim te dolere; i nunc et sequere me, monstrabo tibi tutum morbi remedium. Advena eum aliquo

ad sepem, quæ villam ambiebat, duxit et ita fatus est: hoc in loco ædem fabricandam curato, in honorem unius et veri dei, ad hoc instar quod tibi monstrabo; hic vero deus hoc ipso anno in comitiis tibi annunciabitur, nam primus hac æstate in comitia equitabis. Quod si deum, qui ibi annunciabitur tibi, sincero corde colès, sanitati restitueris, et cum integritate corporis lætaberis in pace et felicitate hujus mundi, et in mundo futuro æterno honore et beatitate frueris. Deinde fundamentum ædis struendæ, Thorhallo præsente, acuto hastili mensus est, sicque ad eum loquitur: hac ratione ædem construito, materiamque adhibeto, quæ in fano est, prope villam tuam constituto, quod tribules frequentare solent ibique quotannis epulas sacrificales instaurare; hoc fanum primo mane, ubi surrexeris, destruendum curato, falsosque deos, quos hucusque venerati estis, exhinc nunquam colito. Quodsi monitis meis obsequeris, resque, quas præcepi, sine hæsitatione facis, brevi convalesces, indiesque virium capies incrementa. His dictis homo in somnis apparens e conspectu evanuit, ille vero experrectus [1]) visioni fidem habuit, et mox illucescente die operarios omnes jussit, irent confestim et fanum demolirentur, ligna domum advehèrent. Qui etsi obmurmurabant et talia esse deliria inter se dictitabant, nihilo minus tamen non ausi jussis aperte obloqui, exacte quod præcepit fecerunt. Ex hoc tempore Thorhallus ædem fabricare cœpit eodem prorsus modo eademque magnitudine, ac in somnis ostensum fuerat. Eo tempore haud procul inde in proxima villa mulier

[1]) lætatus, B.

habitavit, nomine Thorhilda, magni spiritus, et admodum multiscia. Eadem nocte, qua visio Thorhallo in somnis apparuerat, Thorhilda primo diluculo suos excitavit, dicens: ite quam citissime, et omnes pecudes nostras, boves, oves et equos, in unum compellite et domum ex pascuis agite, deindeque domibus aut sepibus includite, nihil enim quod hoc die in pascuis commorabitur, vitam retinebit, nam vicinus meus Thorhallus de Knappstadis delirus et amens factus est, adeo ut viros amandet, qui decorum illud fanum, quod ibi stat, demoliantur; quare augusti illi dii, qui ibi antea culti fuerunt, inviti iratoque animo aufugere coguntur, latibula et sedes quæsitum boream versus in Siglunesum usque dilapsuri. Nolo vero pecudes meas illis obvias fieri, tam enim irati, tamque infenso animo sunt, ut nulli animanti ipsis obvio parsuri sint. Ita factum est, ut præcepit, ut omnia animantia ejus domum compellerentur et custodirentur, una excepta equa in pascuis remanente, quæ postea mortua inventa est. Thorhallo vero de Knappstadis omnia acciderunt, quemadmodum in visione apparuerant; ex morbo indies convaluit, viresque recepit; hac æstate ad comitia equitavit, ibique viros convenit, qui religionem christianam, ut mox dicetur, annunciabant; heic Thorhallus veram religionem acceptavit, tumque primum integram corporis valetudinem recepit, cum baptizatus est; post hæc lætus domum rediit, et omnes vitæ suæ dies omnipotentem deum sincero cultu coluit in æde sacra, quam illi sacraverat, quæque prima in Fljotis facta est in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, quibus honor est et gloria in æternum uni deo in trinitate, amen.

Gissur et Hjaltius christianam religionem in Islandia annunciant.

Cap. 228. Gizur Albus et Hjaltius Skeggii filius, gener ejus, quinta [1]) hieme, qua Olavus Tryggvii filius regno Norvegiæ præfuit, cum illo in emporio fuerunt, ut supra scriptum est. Primo autem vere rex significavit, se illos in Islandiam missurum, veræ religionis ibi annunciandæ causa; illi lubenter mandata acceperunt, et cum primum mare navigando trajici potuit, navem suam paraverunt. Svertingus Runolfi filius in Islandiam hac æstate transmissurus, tum quoque navem suam paravit, quæ pro pontibus itineri parata aquis innatabat; ipse regem Olavum adiens causam suam orabat, veniamque abeundi rogabat, dicens: valde mea interest, domine! inquit, ne paratam navem exoneremus. Rex vultu irato: liberum tibi fuit, navem tuam venia non impetrata parare; bene quoque est, filium viri sacrificuli esse, ubi minus placuerit; ea enim de re, quod præcedente autumno constitui, ratum esto; nimirum majorem ego heic potestatem exercebo quam vos, etsi jussa mea parvi in Islandia a vobis æstumentur. Sic digrediuntur; neque quoquam hac vice Svertingus semovit. Gizur et Hjaltius cum iter paraverant, in altum provecti sunt, et unacum illis presbyter a rege datus, nomine Thormodus, et nonnulli alii viri consecrati (sacri ordinis), qui presbytero in cultu divino adessent. Ventis usi commodis, quamquam non ferentibus, eodem die Durholmaosum præternavigarunt, quo Flosius incendiarius per montana Arnarstakkensia ad comitia universalia equitabat; Flo-

[1]) sic B. F. *fursta*, prima, A. vitiose.

sius ex hominibus, qui ad navem Gizuris remigaverant, nova rescivit; inter hæc, Kolbeinem fratrem suum ab rege Olavo obsidem teneri, tresque alios [1]); in comitia delatus adventum Hjaltii, aliaque quæ resciverat nova, retulit. Gizur et Hjaltius eodem die Vestmannaeyas tenuerunt, quo adventum eorum Flosius rescivit, appulsaque ad Hörgaeyram (lingulam delubrorum) nave, ligna in terram devexerunt, quæ rex Olavus templo struendo dolari fecerat, ipsisque dederat, præcepto addito, templum ibi condendum, ubi primum ad terram appulissent. Jactæ deinde sortes, utrubi sinus templum statueretur; et jubente sorte, Gizur et Hjaltius a boreali parte sinus templum educunt; hic prius delubra ethnicorum fuere magnusque sacrificiorum apparatus, quæ omnia destruxerunt. Cum vero Gizur et Hjaltius duos dies in insulis commorati fuerant et cratem templi erexerant, inde profecti eodem die Eyasandum tenuere, quo in comitia universalia itum est. Gizur ac sui in continentem delati, nullos equos, nulla itineris adjumenta ab incolis, ab oriente (amnis) Nordræ, habitantibus, accepere, quod in his locis ubique curiales Runolfi pontificis habitabant; quare ab oriente omnem viam pedites ibant, donec Hafum pervenirent, ubi habitavit Skeggius Asgauti filius, ejusque filius Thorvaldus, qui uxorem habuit Koltorfam, sororem Hjaltii Skeggii filii; Skeggius illis omnibus equos aliasque res necessarias subministravit, nam Thorvaldus, filius ejus, affinis Hjaltii, ad comitia equitaverat; inde in Laugardalum vecti, petunt a Gizure, ut Hjaltius ibi remaneat, neque in co-

[1]) et viros supra memoratos, F.

mittum equitet in manus hostium, qui eum priore æstate reum peregerant, prius quam Gizur pacem ei conciliavisset securitatemque pactus esset. Hjaltio, Gizuris aliorumque amicorum precibus exorato, ut ipse cum undecim viris remaneret, Gizur ac comites sui iter persecuti sunt, donec ad Vellankatlam (thermas fervontes) ad lacum Ölfusicum pervenerunt; hic Gizur nuntium ad comitia misit, petens, ut amici et cognati sui, omnesque qui ab eo stare vellent, convenirent se; resciverat enim, constituisse inimicos Hjaltii, eos comitio armis prohibere; eo igitur omnes amici et auxiliatores Gizuris, quos nuntio exciverat, magno numero confluxere; qui ante quam inde equitarent, advenit Hjaltius equo vectus cum omnibus, qui unacum ipso in Laugardalo restiterant. Gizur et Hjaltius cum copiis ordinatim ad comitia accessere, ethnici autem confestim panoplia instructi concucurrere; adeoque prope abfuit ut confligerent, sed deo curante timor ethnicis injectus est, ut aggredi non auderent; tum Asgrimus Ellidagrimi filius, Gizuris ex sorore nepos, eum ejusque catervam universam tabernaculo suo accepit. Postero die presbyter Thormodus missam cecinit in Gjabakka [1]) (crepidine hiatus Almannagjæ) apud tabernaculum Vestfirdingorum; post missam septem clerici solenni ornatu ad juris dicundi rupem accesserunt, duas gestantes ingentes cruces, easdem, quæ nunc in Skardo exteriore sunt, quarum altera staturam regis Olavi Tryggvii filii, altera Hjaltii Skeggii filii repræsentat. Magna tum hominum frequentia ad juris dicundi rupem aderat; deinde clerici thus prunis

[1]) *árbakka*, amnis (Öxarae) crepidine, F.

imposuere, cujus odor non minus adverso quam secundo vento ferebatur. Deinde Hjaltius & Gizur, bonum silentium nacti, orationem orsi sunt magna eloquentia dicendique peritia; primo exposuerunt, quæ in itinere suo accidissent, deinde summa loquendi libertate regis Olavi de introducenda religione mandata aperuerunt, denique oratione ad mollem adhortationem flexa, omnem populum blandis sermonibus et precibus rogarunt, ut consilia sua ad frugem perducerent, seque potestati & ministerio summi regis omnium regum vindicarent, ut susceptо baptismo sanctaque fide observata, æternam mercedem infinitorum gaudiorum in cœlorum gloria ab ipso deo reportare possent. Qui cum magna fiducia et eloquentia perorassent, magnus exstitit tumultus et clamor, quod unus post alterum testes adhiberet, et christiani pariter atque ethnici negarent se communibus legibus usuros. Hoc ipso momento puer quidam cito cursu in comitia venit, magna dicendi vehementia rem suam proferens, ignem subterraneum exortum, subitoque lapsu deferri ad villam Thoroddi pontificis, toti ejus possessioni subitum incendium minari. Quæ cum ethnici [1]) audirent, unus eorum infit: haud mirum est, deos tales succensere orationes, quas nuper prolatas audivimus. Excepit Snorrius pontifex Thorgrimi filius: quid dii tum succensebant, cum heic loci, ubi nunc stamus, terra arderet [2])? Post hæc ab juris dicundi rupe domum ad tabernacula itum est; christiani homines colloquio inter se habito, ab Sida-Hallo petiverunt, ut novas ferret leges, quibus

[1]) principes, B. [2]) quæ res non minoris prodigii fuit; deos autem neutrius horum auctores fuisse censemus, add. B.

christianismo nomen dantes uterentur; Hallus autem hoc negotium sic a se amovit, ut Thorgerem Ljosvetningorum pontificem, hoc tempore totius insulæ nomophylacem, pecunia conduceret, ut leges rogaret, christianæ religioni convenientes; Thorger adhuc ethnicus erat, quem Hallus, datis decem arganti unciis, eo perduxisse dicitur, hac lege, ut tres articulos, quos Gizur et Hjaltius dictarent, legibus rogandis insereret, cetera pro lubitu constitueret. Primus articulus erat, quod omnes homines in Islandia christiani esse, quique antea non erant baptizati, baptismo initiari deberent; secundus, quod omnia fana et simulacra profana haberentur; tertius, quod relegationis pœna omnia sacrificia multarentur, si testibus probari possent. Cum vero Thorger in tentorium suum venisset, decubuit, capite pelle obvoluto, sicque diem noctemque jacuit, ne verbum quidem proferens. Interea ethnici, frequenti habito concilio, consilia sua conferunt, quo pacto huic novæ religioni resisterent eamque opprimerent; convenit inter eos, ut voto firmiter nuncupato, duo ex quolibet insulæ quadrante viros eligerent diis immolandos, ne religionem in terra invalescere paterentur. Quo cognito, Gizur & Hjaltius omnes christianos convocant; Hjaltius surgens, ita fatur: allatum est nobis ex concilio adversariorum nostrorum, vovisse ethnicos diis duo homines ex quolibet quadrante sacrificii loco immolandos, ut auxilio falsorum deorum christianam religionem exstingvere et destruere possint; sed, ut vera dicam, tali diaboli consilio et hortatu operam dant, ut salutem animorum suorum perdant. Contra ea non inconveniens videtur, ut nos christiani totidem deligamus

nostræ partis homines, quos vivo nostro deo, vero et beato, demus et sacremus, non ut his corporalem mortem inferamus, sed ut hi ipsi, qui huic victimæ sunt destinati, in se ipsis corporalia vitia et pravas cupiditates carnis perimant, incitamenta mundi vitantes, vitam in hoc mundo clementer, juste et moderate agant, semper se ipsos sanctas victimas offerentes domino nostro Jesu Christo per bona sua opera, ut tandem cum eo æternam vitam consequantur in regno cœlorum, tanto ibi beatiores futuri, quanto hic sunt benevolentiores. Ethnici pessimos homines deligunt, quos diis suis offerant, eosque morte turpissima, ipsisque dignissima ob malefacta sua, immolant, ita ut illos e rupibus aut in hiatus præcipites dent; nos vero contra ea viros deligamus, optimam de se spem facientes, quorum virtutes vivam victimam sacram, puram deoque acceptam, eos reddant; ut omnipotens deus, propter eorum merita, gratia sua faciat, ne qua malitia invidiosorum inimicorum contra homines fideles invalescat, sed ut, exstincto et deleto cultu omni diabolicorum simulacrorum, notitia nominis Domini nostri celebretur, quo omnis hujus terræ populus lubens volensque salutares christianæ religionis leges recipiat. Quare, si vobis placet, ego et Gizur primi nomine Sunnlendingorum hoc victimæ voto nos læti obligabimus. Omnibus christianis hanc sententiam probantibus, quæri cœptum, quinam ex ceteris insulæ quadrantibus hoc voto se obstringere vellent; tum, ex parte Austfirdingorum, Hallus de Sida et Thorleifus ab Krossavika, dictus Thorleifus Christianus, votum in se receperunt. Eidem Thorleifo Ketill Crassus, consilio et hortatu Broddhelgii, diem dixit ob ob-

servationem rituum christianorum, ut in historia Vapnfirdingorum memoriæ proditum est [1]); eodem autem die, quo Ketill ei diem dixit, quum ipse ac comites in viam se dedissent, tanta nivium procella exorta est, ut a via aberrarent, eoque tandem res rediret, ut Ketill sibi suisque nullum aliud salutis effugium videret, quam ad villam Thorleifi reverti; Thorleifus autem summa benevolentia et comitate eos accepit, et quamdiu tempestate detenti ibi commorabantur, lautissimo quem habuit cibo eos tractavit, perinde ac si filius aut frater fuisset; qua re Ketill ab omnibus cum Thorleifo litibus cessavit, et semper exinde sinceram cum eo amicitiam coluit. Ceterum ex parte Nordlendingorum Hlennius de Saurbæo in Eyafjördo, filius Ormi Töskubakis (peræ gestoris), et Thorvardus, filius Bödvaris sapientis, ex Skagafjördo, hoc voto se obligarunt; ex quadrante Vestfirdingorum nemo, præter Gestum Oddleifi filium, acquiri potuit; quam rem Gizur et Hjaltius ægre tulerunt. Cum vero perquisitum est, ecquis rem suscipere vellet, Ormus Kodranis filius, frater Thorvaldi peregrinatoris, de quo supra mentio facta, respondit: certe vir inveniretur, qui hoc vestrum laudabile votum explere vellet, si Thorvaldus, frater meus, heic in comitiis adesset; quoniam vero domicilio a nobis remotus est, sive jam in vivis, sive mortuus sit, equidem lubens, quamvis indignus, si opera mea uti velitis, in ejus locum hac de re succedere volo; mihi [2]) tamen temerarium est talia proferre, qui cruce tam-

[1]) vide hist. Broddhelgii sive Vapnfirdingorum cap. 4 & 5. [2]) *mér*] sic A. B. C. Positus autem est h. l. genitivus pro dati *mér*; sic *þín líkt* pro *þér líkt*, Njal. cap. 99, in carminis versu 4.

tum signatus, non baptizatus sim. Principes autem et omnes christiani homines, qui ibi aderant, grati quæ obtulit acceperunt. Itaque Ormus illico baptizatus est; is tum domicilium habuit Gilsbakki in Borgarfjördo apud Hermundum affinem suum, qui Gunnhildam sororem ejus tum uxorem habuit.

Christiana religio in Islandia legibus recepta.

Cap. 229. Thorger, pontifex Ljosvetningorum, totum diem et noctem, ut ante dictum est, recubuerat; postero autem mane surgens omnes comitiales, tam christianos quam ethnicos, ad juris dicundi rupem accedere jussit; cumque universitas populi convenisset, primo strepitus ingens et clamor exortus; cum autem homines consedissent, silentiumque factum esset, Thorger in hunc modum verba fecit: audite, viri sapientes! verba mea, et omnis populus diligenter animadvertat, quæ dicturus sum; rem ad periculosas difficultates infaustumque toti [1]) nostræ rei publicæ exitium spectare prævideo, nisi universus hujus terræ populus iisdem legibus eademque religione utatur, nam dissociatis legibus, rumpetur pax [2]); inde discrimina et discordiæ inter homines nascentur, deinde plenum odium, hostilitates et prælia, quæ brevi totam nostram patriam vastabunt, nisi accedant salutaria consilia sapientis prudentiæ. Proinde omni studio nobis cavendum et vitandum est, ne adeo exitiale infortunium nobis accidat, ut nos ipsi conterranei et cognati nimia contentione in mutua præ-

[1]) populo & omni, add. C. [2]) sic, B. C., nam sine dubio cito rumpetur, A.

lia ruamus, omni potius ratione et benevolentia in id incumbendum, ut constituamus et componamus, teneamus et observemus concordiam firmamque inter nos pacem in hac nostra patria et altrice terra. Opinor audivisse vos, reges Norvegiæ et Daniæ longo tempore bella inter se et magna prælia gessisse, ad eum finem, quoad utriusque regni optimates, discordiæ istius et hostilitatis pertæsi, fœdera iceruntpacemque invitis regibus inter utrasque respublicas pepegerunt; quæ ratio id prosperitatis peperit, ut reges, qui diu inter se dissederant, benevolentia consiliariorum et subditorum amicitias junxerint, et munera resque pretiosas invicem miserint, quæ pax, quoad illi reges vixerunt, tenuit. Quamvis autem optimates nostri non tantum auctoritate polleant, quantum aliarum nationum reges, et nos imprudentiores simus, quam illorum consiliarii, tamen nos decet, ex illorum sapientibus consiliis exempla sumere. Itaque rem inter homines, qui hic maxime invicem adversantur, sic ex æquo constituemus, ut utrisque aliquantum detur, neutri vero soli prævaleant; quo pacto nos omnes una, rato fœdere, bonis consiliis lætari, unus populus sub unis legibus esse, et universi unum habere possemus nomen ab una religione et moribus, pace & prosperitate nostræ patriæ fulti, uno concordiæ fœdere conjuncti: persvasum enim habetote, legibus dissociatis, pacem inter nos dissociatum iri. Ideo id principium, is finis est meorum consiliorum et adhortationis, ut nos universi easdem teneamus leges uno et indissolubili concordiæ fœdere, excludentes omnem infelicem simultatem et dissensionis materiam. Cum vero Thorger finem dicendi

fecisset, divina gratia tam salutarem dedit eloquentiæ suæ effectum, ut universi comitiales, tam ethnici quam christiani, uno statim consensu, nemine obloquente, affirmarent, se legibus, quas rogaturus esset, usuros, easque omni ex parte observaturos. Tum Thorger: hoc principium esto legum nostrarum, ad christianos homines conciliandos: quivis homo Islandus major minorve, christianus esto et baptizator [1]); omnia fana & simulacra impune violanda & destruenda; quivis homo, qui simulacrorum cultus testibus convictus fuerit, relegationis pœna mulctator. Quoniam autem homines, qui prædicationi religionis christianæ maxime sunt adversati, vix intellectu comprehendunt, congruens esse, omnes qui in lucem editi fuerint infantes alere, tam pauperum quam divitum; eas autem res, quæ ad alendum populum maximum momentum habeant, repudiare et vetare: ideo dabitur his, ut antiquæ leges de expositione infantum et esu carnis equinæ maneant, et clam licere deos colere, si testibus probari nequeat. Sic quoque omnibus ceteris antiquis legibus utemur, quæ quidem christianismo non aperte repugnent. Thorger sic oratione defunctus est, ut omnes quas rogaverat leges collaudarent, nempe neminem impedire alium debere, quo minus Christo tam benevole quam cuperet quisque, operam daret; [sunt quoque (ethnicis) prisci cultus consvetudines firmo robore plenæ contentionis omnino abrogatæ, etsi primo ad baptismum & christianum nomen suscipiendum magis vi coacti essent, quam sincero dei amore et pro-

1) antea non baptizatus, add. B. C.

pria benevolentia [1]). Verum tamen gratia et misericordia Domini nostri factum est, ut paucis interjectis hiemibus istæ ethnicismi reliquiæ, clandestinus deorum cultus, esus carnis equinæ, expositio infantum, de quibus supra mentio facta, auctoritate optimatum populique consensu delerentur et abrogarentur. Comitiorum is exitus fuit, ut christiana religio per totam Islandiam recepta esset; tum omnes homines, qui in comitiis aderant, cruce signati, multique, qui prius ethnici fuerunt, baptizati; ideo autem non omnes ibi baptizati sunt, quod Nordlendingi & Austfirdingi in aqua frigida demergi noluerunt, quare eorum complures in thermis ad Reykos in Laugardalo baptizati sunt. Hjaltius Skeggii filius Runolfo pontifici Ulfi filio, qui eum antecedente æstate reum peregerat, officium lustricum præstitit; cum autem cruce signaretur, Hjaltius infit: jam grandævum pontificem docemus salem morsicare [2]). Cum vero comitiales domum in tribum quisque suam venerant, omnis populus eadem æstate quam primum licuit baptizatus est, nemine tum christianæ religioni resistente; quæ religio exinde promota et aucta [3]), nunquam vero delata est.

Rex Olavus toti Norvegiæ classem et copias imperat.

Cap. 230. Eadem hieme, quam Gissur & Hjaltius apud Olavum regem Nidarosiæ transe-

[1]) sensu haud multum discrepante, paullo aliter ista a signo leguntur in B. C. quod in textu isl. est annotatum. [2]) vide Dni F. Johannæi Hist. Eccl. Isl. Tom. 1. pag. 82. not. a. [3]) in Islandia, add. B. C.

gerunt, magna fuit in Norvegia vilitas annonæ et quies domi; procedente vero hieme et ineunte vere regina Thyria, profusa in lacrimas, sæpius coram rege questa est, amplissimas sibi in Vindlandia possessiones fuisse, ibi vero terrarum (in Norvegia) esse nullas, quales reginam decerent. Multis interdum ad blanditiem compositis verbis regem rogavit, ut suas sibi redderet possessiones, apud Burizlavum regem tanta regem Olavum pollere amicitia, ut si convenirent, quæcunque petiisset rex Olavus, facile esset impetraturus. Qui sermo ubi ad regis Olavi amicos relatus est, omnes regi iter in Vindlandiam, tametsi regina hortaretur, dissvadebant. Ea hieme bona fuit cœli tempestas, quæ ineunte vere lætam frugum spem promisit. Memoriæ proditum est, cum rex Olavus die dominica palmarum per plateam procederet, occurrisse ei quendam, portantem herbas angelicas plurimas, eo quidem veris tempore miræ magnitudinis; rex unam caulem manu arreptam domum portavit. Regina Thyria in conclavi sedens, rege intrante, lacrimabatur; cui rex: en tibi, inquit, caulem angelicæ eximiæ magnitudinis, quem tibi dono. Illa manu munus rejiciens, dixit: majora dona dedit pater meus, Haraldus Gormi filius, et minus timuit, patria relicta, honorem [1]) suum repetere (vindicare), quam tu facis nunc; cujus rei specimen dedit, cum huc in Norvegiam classe advectus, maximam hujus regni partem vastavit, totum vero cum tributis et

[1]) *tign*] quamvis hæc lectio haud incommodum sensum fundat, et mox sequatur *sœmd*, vereor ne præferenda sit lectio Hkr: *eign*, possessiones. Sic errore librari *eignaðir*, pro *tignaðir*, est, cap. 108 in fine.

censibus suum reddidit. Tu vero nunc perspicere potes, id quod sæpe coram te questa fui, quam parce instructa hanc in terram venerim, aut quanto cum dedecore et injuria amplas in Vindlandia possessiones amittam; tu tamen nullus audes per Daniam ire, res meas petitum, tuum vero honorem, metu Sveinis regis, fratris mei. Rex Olavus, ad hæc ejus verba solo exsiliens, alta voce respondit: nullus unquam Sveinem regem metuam, fratrem tuum; et si congrediemur, cedat faxo. Paulo post rex Olavus, indictis in oppido comitiis, toti populo notum fecit, se ea æstate classem velle paratam, qua in expeditionem iturus erat, et ex singulis provinciis imperatas tam naves quam milites, edicens simul, quot naves ex eo sinu (Thrandheimico) vellet expeditas. Missis postea nuntiis, et boream et austrum versus, tam ad exteriores (maritimos) quam superiores regiones, copias imperat. Tum Serpentem longum rex in mare deduci jussit, ceterasque omnes naves suas tam minores quam majores,

Leifus christianam reddit Grœnlandiam.

Cap. 231. Eodem vere rex Olavus Gizurem et Hjaltium in Islandiam misit, quemadmodum supra demonstratum est. Tum quoque rex Leifum Eiriki filium in Grœnlandiam misit, ut religionem christianam ibi annuntiaret; cui rex presbyterum et nonnullos alios sacri ordinis viros dedit, qui homines ibidem baptizarent, veramque religionem docerent. Leifus hac æstate in Grœnlandiam reversus, in mari navis cujusdam vectores, qui tum viribus erant destituti, et oblisæ navis tabulatis innatarunt, suscepit; et in hac eadem profectione Vinlandiam Bonam invenit, vergente hac æ-

state in Grœnlandiam venit, et Brattahlidam ad patrem suum Eirikum hiematum se contulit; illum postea cognomine Fortunatum dixere; sed Eirikus, pater ejus, constare dixit Leifo rationem, qui naufragos quidem servasset et a morte vindicasset, sed noxium hominem (sic presbyterum appellavit) secum in Grœnlandiam vexisset; consilio tamen et hortatu Leifi, Eirikus omnesque Grœnlandiæ incolæ baptizati sunt.

Hallfredus in Islandiam navigat.

Cap. 232. Eodem vere, paulo post quam rex Olavus Leifum Eiriki filium in Grœnlandiam miserat, Hallfredus Difficilis-poeta die quodam regem adiens, veniam rogavit proxima æstate in Islandiam redeundi. Rex respondet: esto, prouti vis; bonum in te virum expertus sum, quod autem tibi ingenium est, haudquaquam vero absimile duxerim, adfore tempus, quando mecum esse malueris, potius quam in Islandia aut alibi locorum; cum autem incertus sit congressus noster post hæc, si nunc separamur, accipito ab me amiculum bombycinum, galeam et armillam sex uncias pendentem; quas res monimenti loco possideto, quod mihi apparueris, neque eas abalienato, nam una eunto cum funere tuo ad templum, sed in loculum, si mari mortuus fueris. Deinde Hallfredus navim suam in Islandiam paravit, Audgislem filium suum misit in Svethiam, ubi cum Thorare avo materno educatus est, Hallfredo autem filio suo bonum nutricium in Thrandheimo conciliavit. Cum vero Hallfredus se paraverat, regem adibat, eumque salutabat, haud dubia præferens indicia, quantopere discessus a rege eum tangeret. Postea navem solvit, et in ostio Kolbeinsæ in Skaga-

fjördo post comitia appulit; tum navis exonerata et in siccum subducta; Hallfredus, conducto homine, qui merces suas servaret et proxima hieme venderet, ab navi undecim comitatus viris in tractus occidentales equitat, australia inde montana trajecturus, quod et fecit; hi omnes vestibus coloratis utebantur; qui ab Skagafjördo occidentem versus pergentes, ab itinere deflectentes advehuntur ad æstiva Grisis de Skardo, sita inter Skagafjördum et Langadalum, supra Laxardalum; aderat in his æstivis Kolfinna Avaldii filia, uxor Grisis, et unacum ea mulieres aliquot; plura quoque prope fuerunt Langdalensium æstiva, et in his mulieres. Opilio Grisis iter eorum conspicatus, indicat Kolfinnæ, duodecim viros, omnes coloratis vestibus indutos, æstiva advehi. Cui illa: hi, credo, viæ ignari sunt. Nescio id quidem, ait ille, non tamen equitant, ut qui ignari sint. Illis advenientibus, Kolfinna exit, Hallfredum salutat, nova quærit. Hallfredus respondet: pauca quidem nova, sed quæ per otium dicantur, heic enim pernoctare animus est. Ea cibum iis daturam se ostendit. Descendunt equis, dulcibus lautiis accipiuntur; Hallfredus cum Kolfinna per noctem concubuit, et comitum ejus quisque suam nactus est mulierem, etenim æstiva uno loco multa fuerunt. Mane sequenti surgens Hallfredus, carmina lusit aliquot, quæ literis mandare non est opus, tam amatoria in Kolfinnam, quam famosa in Grisem. Tum Kolfinna: mirum est, te fortem virum tam mala carmina facere; justo majorem Grisi contumeliam attulisti, quam turpibus carminibus augere non decet: nam abest ab eo, ut de te faciat carmina, quippe vir benevolus, neque alios facile lacessens, si animus

ejus non magnopere irritatur; tu ita rem tuam cum eo instituisti, tam nunc quam prius, ut te magis deceret, illi satisfacere, quam eum carmine cavillari, etenim se fortem præbebit virum, si vindicandam habeat injuriam, et contumelia affectus sit [1]). Hallfredus carmine excepit:

Equidem parum curaverim, quamvis
viraginis in manibus fuero occisus,
(equitator cautus agrestis vehiculi
accessit feminas sui periculo),
amplexus inter si contingeret mihi
dormire nymphæ vestiarii;
amori temperare non quivi,
solutus, erga luminarium tiliam*)

Opilio hac nocte citato cursu ab æstivis equitatavit, et Grisi, quid rei esset, indicavit. Cujus ille certior factus, viros accivit, et mane domo equitat quatuordecim viris comitatus. Hallfredus ac sui abitum ab æstivis mane parant; Hallfredus in equum insiliens, subrisit. Kolfinna quæsivit: quid nunc subrides? Hallfredus carmine respondit:

Nescio, hercle, quid marini luminis
numen verborum ore proferat,

---

[1]) sic C.; si honore ornatus sit A. B.

*) Ordo: *Ek hirði lítt, þótt ek verða höggvinn í höndum svarra, (varr lautar viggs lundr hefir hætt til sprunda), ef ek næða sofa meðal arma,* [1]) *slæðu karms Sif; máttkat* [2]) *ek lauss* [3]) *bindast of ræktar* [4]) *við* [5]) *ljósa lind.* Hæc stropha abest in S.

[1]) *á armi*, in sinu, C. [2]) *mákat*, non possum, Sk., aptius, ut puto. [3]) *ljóss*, luminis, 132, hoc ordine: *máttkat ek bindast of ræktar við ljósa ljóss lind*, erga lucidam, pulcram luminis tiliam (feminam); *las* B. C. forte id. q. *lass*, seræ (ob jus clavium), eodem ordine, vel id. q. *lass* v. *laz*, quod vertitur tænia, fibula OK. p. 181. Egl. p. 602. [4]) *trega*, dolore, pro desiderio, C. [5]) *um*, ob, propter, 132.

(amor Nympharum lucis æquoreæ
animo illabitur meo),
si diligentes possessores dictorum
gigantеorum causam quærent gaudii:
me nempe detraxisse pellem
caprinam porcello porcæ.*)

Hallfredus pallium ipsi a rege donatum Kolfinnæ dare voluit, illa vero accipere noluit. Cum abequitarent, Hallfredus carmen fudit:

En! cuticula levi conspicuæ
custodes ignis veniunt marini
ab æstivis tabernis universæ;
perpulcra cutis est mulieribus.
Nunc intercessioni renuntio meæ!
virorum quisque femininam suam sibi

*) Ordo: *Veitkat ek hitt, hvað verglóðar Móða* 1) *a) skal verða á munni, (ást rennunst* 2) *til Ilma* 3) *unnar dags) b), ef fjölgegnir* 4) *fagnendr jötuns sagna c) fregna, hvat mik teitir* 5); *ek fló geitbelg af gyltar* 6) *grísi d).* Abest hæc stropha in S. 1) *tróða*, 132, o: arbor, i. e. femina, in vocandi causa; nempe Kolfinna. 2) *renna*, 132, prave, *rennunk*, el. hene, eod. sens. 3) *Ilmar*, in sing. nymphæ, o: solius Kolfinnæ, C. *unnar*, Thetidis (deæ), 132. 4) *fjölegnir* B, obscure. *fljóðgegnir*, mulierosi, vel sensu molliore, lepidi puellarum cultores, F. 5) *teiti*, C. id. imo melius in coni. 6) *galtar*, porci, 132.

a) i. e. vir, pro pronomine, egomet, *verglóð*, pruna, ignis maris, aurum; *Móði*, filius Thoris, pro fulcro appellationis adhibetur. *b*) *Ilmr*, inter Asidas occurrit Edd. Snorr. p. 211; proprie Bellona fuisse videtur, unde *Ilmar jálmr*, pugna, Landn. p. 174; *unnar dagr*, dies (lux) undæ, aurum; Nympha auri est femina, utpote ornatus plerumque studiosa. *c*) i. e. viri, secundum Edd. Snorr. p. 83. *d*) Sensum hujus dicterii talem informo: coegi hominem, deposita ignavia, virum se præstare; in voce vero *gyltar grís* alludit ad nomen Grisis.

capiat, quamtumvis indignabitur
diva, potum convivii ministrans!*)

Jam Gris cum suis ad æstiva venit, tum Hallfredus et comites abierant. Kolfinna gravi sollicitudine affecta erat; quod videns Gris, hos versus fudit:

Turbæ nunc mihi haud leves
videntur extitisse, dum domo
abfui, byssi diva! Qui earum
profectæ sint nonnullæ, suspicor.
Facessiverunt heic molestiam
hostilem advenæ; femina prodit
facie tumente; speciosa vultu
abstergit mulier oculos.**)

Vir erat nomine Einar filius Thoreris, filii Thrandi, consobrinus Grisis; hic in numero eorum fuit, qui Grisem comitabantur. Cum vero Gris ad æstiva venisset, digresso jam Hallfredo, suis significat, velle se Hallfredum equis persequi. Kolfinna monuit, ne eum perse-

---

*) Ordo: *Slèttfjallaðar hirði-naumur a) sæfar báls koma allar or seljum; hams er goðr á fljóðum. Nú sel ek af áburgð mína b); hverr seggr taki við sinum svarra, þótt avlbekkjar* [1]. *Sýn ýfist nokkut.* Nescit hanc stropham C.

[1]) *ylbekkjar*, B. forte scamni caloris i. e. lecti, quorsum spectare videtur var. l. 132, *ilberkjar*.

a) *Slèttfjallaðr*, lævi cute, a *fjall* id. q. *fell*, pellis. *Sæfar bál*, aurum; *hirði-nauma*, quæ custodit, condit, servat, a *nauma*, gigantis. *b*) i. e. non amplius intercedo, quominus feminis vis fiat a commilitonibus meis.

**) Ordo: *Nú þikkir mèr vera orðinn nökkur sveimr, meðan ek var heiman námskorð a)! Lít ek, hve sumr mun sæta.* [1]) *Gestir hafa hèr gerva fjandsliga* [2]) *slaug; kona gengr út þrútin; seáligr svarri þerrir augu.* Abest hæc stropha in S.

[1]) *lít á sumt um sveitir*, 132. hoc ordine: *nú — sveimr um sveitir*, nunc — turbæ in agris; quasdam ipse video, v. earum nonnullæ ad me ipsum pertinent. [2]) *þúngliga*, gra-

queretur: incertum enim est, inquit, an tua res melius habeat, si congrediemini. Valuit auctoritas Grisis; itaque illi, Audolfsstados prætervecti, cum ad Blandam venissent, Hallfredum ac comites in medio amne deprehendunt; Gris hastam in Hallfredum torsit, quam hic advolantem sibi manu intercepit et in Grisem retorsit; Einar Thoreris filius securim advolanti obvertit hastæ, in qua cum frustraretur, excepit pectore telum et continuo exspiravit. Tum Gris: nunc fugis, Hallfrede! Ille contra: non longius quam ex amne recedam, si insequi tibi animus est. Gris amnem non ingressus est; tandem, verbis trans amnem commutatis, svadebant utriusque partis homines, ut in gratiam redirent sic, ut Hallfredus Grisi pro hac omni contumelia satisfaceret. Hallfredus interrogavit, quid postularet Gris. Gris fatur: audivi, duas tibi esse bonas armillas aureas, alteram tibi ab rege Olavo, alteram ab satrapa Sigvaldio dono datam, quam utramque obtinuisse satis habuero. Hallfredus respondet: prius aliud eveniet. Sic gesta re digrediuntur, non reconciliata gratia. Hallfredus austrum versus Ottarstados ad Galtium fratrem suum equitavit, nam pater ejus tum diem obierat; ibique hiemem fecit.

---

vem, vel graviter, indignanter, 132. *fjandligust*, inimicissima, C.; *fjandligastr*, inimicissimus, B., utrumque ad contextum minus apte.

a) *námskorð*, femina, a *skorð*, f. destina, fulcrum, id. q. *skorða*, quod in appell. femin. sæpius occurrit. *Nám* vero quid proprie significet, fateor me nescire. Panni quoddam genus esse, concludo ex duobus locis, *námdúkr*, Orkn. c. 82. str. 4, et *námkyrtill*, O. Tr. in Hkr. c. 110, ubi vertitur: angusta tunica.

De athletis Olavi regis, Serpentis longi defensoribus.

Cap. 233. Rex Olavus, procedente vere, naves suas paravit ex Nidarosia ituras. Serpentem Longum, quem præcedente hieme fabricandum curaverat, utpote navium longarum in Norvegia maximam et pulcherrimam, ipse gubernare constituit. Cui navi cum sumendi erant classiarii, ea in re tantus habitus est eorum delectus, ut nemo serpente longo veheretur, sexaginta annis major, vel viginti minor ætate, nemo nisi robore et fortitudine inter præstantissimos. Hanc in rem recensiti sunt et delecti primum Olavi regis aulici, quorum quippe in numerum, tam ex indigenis, quam exteris, quicquid virorum robustissimum fuit et strenuum quam maxime fuerat selectum. Ulfus Rufus dictus est vir, qui regis Olavi vexillum præferens, in prora Serpentis locum habuit, alter Kolbeinn aulæ magister (orator regius), Thorsteinn Bövipes, Vikar de Tiundalandia, frater Arnljoti Gellinæ. In tabulato navis, proræ surgenti proximo, hi erant: Vakur [Anglicus de Rauma, Bersius [1]) robustus, An Sagittarius ex Jamtia, Thrandus Valens ex Thelamarkia, et frater ejus Uthyrmer; Halogi: Thrandus Skjalgius (Strabo), Ögmundus Sandius, Hlödver Longus de Saltvika et Harekus Acer; ex Thrandheimo interiori: Ketill altus, Thorfinnus Eislius; Havardus & fratres de Orkadalo. Hic in anteriore navis parte erant: Björn ab Studla, Börkus ex Fjördis, Thorgrimus ex Hvinia, filius Thjodolfi, Asgrimus et Ormus, Thordus ex Mar-

[1]) ab Lidio, Rauma-Bersius B., ex exercitu Raumorum, Bersius, C. Albicus Raumii filius ab Rauma, Bersius F.

dalögis [1]), Thorsteinn Albus ab Ofrostadis, Arnor Mæriensis, Hallsteinn, Eyvindus Snakus (serpens), Bergthor Bestill, Hallkell de Fjalis, Olafus Drengus (strenuus), Arnfinnus Sognicus, Sigurdus Bildus (scalprum), Einar Hördensis, [Ketill Rogalandus [2]), Grjótgardus de Raumarikia. In interscalmio angusto [3]) hi fuerunt: Einar Thambarskelfer (tremere faciens nervum arcus), quem ceteri societati suæ non [4]) parem existimavere, quippe octodecim tantum annos natum, Hallsteinn Hlifæ filius, Thorolfus, Ivar Smetta, Ormus Skogarnef (sylvæ lingula); multi præterea alii viri præstantissimi Serpente vehebantur, etsi eorum nomina recensere non possimus. Octo viri interscalmium proræ [5]) occupabant, quorum singuli viritim erant delecti [6]); Interscalmium primas [7]) tuebantur triginta viri. Receptus erat ore vulgi sermo, selectam classiariorum turbam, quæ Serpente vehebatur, et formæ et virium et fortitudinis præstantia alios omnes non minus superasse, quam Serpens Longus aliis navibus erat præstantior. Thorkell Nefja (Naso), frater Regis Serpentem breviorem du-

---

[1]) num id. q. hodie dicitur Mandal, veteribus Marnadalr? [2]) Finnus Ketill de Ringarikia, B. [3]) *Krapparúm* fuit in navibus interscalmium ab celsa puppi secundum, vide Scripta Soc. litt. isl. Tom. 6, pag. 136. [4]) vix, C. [5]) *hálsrúmi*, sic B. C; *hálfrýmí*, A. *Hálsrúm* alibi me legisse non memini, potest tamen idem esse ac *stafnrúm*, quæ vox occurrit Landn. pag. 75 & var. lec. Hkr. 3, 9. *Hálfrýmí*, dimidium interscalmium, quod et h. l. legit Hkr. vide Scripta Soc. litt. isl. l. c. pag. 139; quæ lectio præstare videtur. [6]) omnes copiæ selectæ erant B. C. [7]) *Furrúm*, id. q. *fyrirrúm*, interscalmium primas, duplex erat, posterius, ante celsam puppim; anterius, tertium a prora vide Scripta Soc. litt. isl. l. c. p. 136, hoc loco anterius intelligit P. Vidalinus, vide l. c. p. 138.

cebat. Thorkell Dydrill (cauda) et Josteinn, avunculi [1]) regis, Gruem gubernabant, quæ utraque navis a militibus optime parata erat. Novem naves magnas rex Olavus ex Thrandheimo ducebat, præter naves viginti transtrorum et minores. Cum vero rex classem suam, ut Nidarosia solveret, fere paratam habebat, per totum Thrandheimum provincias et procuratorum munera distribuit; interea, dum rex multis negotiis teneretur, processit æstas, ita ut naves ab Islandia aliisque terris in Norvegiam venirent. Tum fama allatum, receptam legibus in Islandia christianam religionem, populumque baptizatum universum. Quibus cognitis, rex Olavus oppido lætatus, concilium convocavit, ipseque surgens ita locutus est: lætissima res ex Islandia ad aures nostras pervenit, universum ibi populum christianum esse factum; qua de re deo gratias habentes, omnibus, qui ejus gentis nomine obsidum loco heic retenti sunt, veniam damus concedendi quoquò ipsis visum fuerit. Kjartan Olavi filius regis orationem primus omnium excepit: multas tibi, inquit, domine! pro hac venia agimus gratias, eaque potestate nobis in Islandiam redeundi facta nunc utemur. Cui rex: hæc quidem dicta non retractabimus, verum non aliis minus, quam tibi, Kjartan hæc dicta voluimus; etenim ita judicamus, te nobiscum magis quasi amicum & hospitem, quam obsidem, commoratum fuisse; nolui sane, te desiderio Islandiæ teneri, quamvis multos ibi nobiles cognatos habeas, nam, si apud nos remanere cupis, magnum honorem consequeris eamque matrimonii conditionem, qualem in Is-

[1]) avunculus, C.

landia non dari contendimus. Kjartan respondet: deus te, domine! omnem remuneret honorem, quo me auxisti, ex quo in tuam veni potestatem; atque etiam nunc spero, te non minus mihi veniam daturum in Islandiam revertendi ad visendos propinquos et amicos, quam ceteris hominibus, quos aliquantum temporis apud te detinuisti. Kalfus Asgeiris filius, qui præcedente æstate navem suam ac Kjartanis, mercibus onustam, ab Anglia duxerat, hiemem proxime elapsam in Norvegia transduxerat. Nunc vero, cum Kjartan veniam ab rege Olavo in Islandiam revertendi impetraverat, ipse ac Kalfus profectionem apparare cœperunt; et cum navis ad solvendum omnino parata esset, Kjartan Ingibjargam adiit, regis sororem, quæ eum comiter accipiens, locum apud se, ubi sederet, designavit; instituto colloquio, Kjartan significat se jam iter in Islandiam paravisse. Cui Ingibjarga: hoc te magis, Kjartan! fecisse arbitror pervicacia tua et cupiditate, quam quod ad id aliorum hortatu impulsus sis. Inde haud multa verba conseruerunt. Tum Ingibjarga ex pyxide quadam, quæ juxta eam stabat, sacculum bombycinum depromsit, cui mitra [1]) inerat nivei candoris, multo auro intexta, res oppido pretiosissima; mitram hanc Kjartani dono dedit, his usa verbis: hanc mitram [2]) Gudrunæ Osvifuris filiæ nuptiali muneri dabis, cui nimium quam bona est, qua caput suum nubat; scilicet conspiciant velim Islandæ feminæ, non servo genere natam,

---

[1]) *motr*, secundum Eddam videtur esse candidum linum: *motrur heita þær konur er hvítum lèreptum falda*; quà capitegmen, cfr. Lexic. Ihrei sub voce *myssa*; formam autem hujus capitegminis similem fuisse opinor Turcarum tiaræ. [2]) cimelium B. C.

quacum heic in Norvegia collocutus sis; nusquam deducam te, inquit, jamque vale. Kjartan surgens Ingibjargam osculatus est; quorum digressum utrisque amarum fuisse, vulgo pro certo habitum est. Deinde Kjartan regem convenit, seque itineri paratum ostendit. Rex Olavus eum ad navem deduxit magno oppidanorum numero comitatus; qui cum eo venissent, ubi navis ad littus stabat, rex infit: en gladium, quem tibi, Kjartan! digredienti dono, fac hoc telum nunquam manu dimittas, spero enim, si hunc ensem gestaveris, te non gladio periturum; fuit autem hic gladius telorum acutissimum, et admodum exornatus. Kjartan regi pro munere, et summo illo honore, quem sibi, dum in Norvegia versatus esset, tribuisset, magnifice gratias egit. Rex loquitur: nunc salvus i, Kjartan! religioni quam profiteris constanter adhære, et deum ama. Sic amantissime digrediuntur; Kjartan per pontes in navem conscendit, quem respiciens rex, fatus est: multa naturæ bona Kjartani et quibusdam cognatorum ejus fortunæ munere tributa sunt (forte rectius: magna Kjartani & quibusdam cognatis ejus fata impendent); et sæpe magnopere dolendum est, fatis humanis occurri non posse. His dictis rex Olavus in oppidum revertitur. Kjartan & Kalfus, simulac ventus adspiraret secundus, in altum provehuntur, brevique navigatione usi, portum Hvitaensem in Borgarfjördo tenuere; hic Kjartan cognovit, Bollium Thorleiki filium, cognatum suum fratremque juratum, Gudrunam Osvifuris filiam duxisse uxorem; quibus rebus nihil quicquam movebatur. Sequentem hiemem Hjardarholti apud patrem suum Kjartan transegit; idem primus omnium Islandorum per jejunium quadragesimale a

sicco cibo abstinuit [1]), quod fama percelebratum est; aliis præterea multis bonis institutis et ritibus religiosis usus est, præ plerisque hominibus sui in Islandia temporis. Vere proxime sequenti Kjartan uxorem duxit Hrefnam Asgeiris filiam, eique mitram dedit in donum lecti genialis. Subsequenti vero autumno, dimidio ante hiemem mense, in convivio Hjardarholti habito Thorolfus Osvifuris filius gladium a rege donatum Kjartani surripuit, eumque in paludem immisit, cum equites viri eum persequerentur; tum gladius repertus est, vagina vero exinde nunquam. Post autem paulo in convivio autumnali Laugis habito clam mitra Hrefnæ surrepta est, ita ut nunquam inventa sit; hinc ortæ inter Kjartanem et Laugamannos inimicitiæ et mox hostile odium, sicque ea hiems elapsa est; sequenti autem vere, quinta feria festi paschalis, Osvifuris filii et Bollius, qui omnino novem viri erant, hortante Gudruna, Kjartani, qui tertius ipse ab occidente ex Saurbæo rediit, insidias juxta Hafursgilum in Svinadalo fecerunt; heic conflixerunt, sex viris Kjartanem oppugnantibus, postquam alter comitum ejus occubuerat, alter a duobus viris comprehensus retentusque est. Kjartan, etsi gladio inutili uteretur, quem identidem pedi subjectum corrigere necessum habuit, tamen unum adversariorum interfecit, ceteros [2]) autem vulneravit. Bollius pugnæ adstitit, nulla re gesta; cum vero Osvifuris filii intelligerent, se Kjartanem non debellare posse, Ospakus Bollium omni modo hortatus: haud tu, credo, Bolli! id infamiæ in te admittere volueris, ut, cum domo

[1]) vide Hist. Eccles. Isl. Tom. 1 pag. 166. 169. [2]) duos, C.

profectus nobisque operam tuam pollicitus sis, nunc nullam operam nobis præstes, cum opus habeamus; difficilis nobis fuit Kjartan, cum levius in eum deliqueramus; qui si nunc salvus evaserit, prope aderit, quando non minus tu, Bolli! quam nos, ad ultima quæque descendere cogeris. Tum Bollius, stricto gladio suo Fotbito (pedum sectore), ad Kjartanem se convertit; heic Bollio Kjartan: certe tibi jam nefarium facinus edere in animo est, multo autem satius duco, necem abs te perpeti, cognate! quam mortem tibi inferre; ideoque non me armis adversus te tutabor. His dictis deponit arma [1]), leviter adhuc saucius, magnopere vero pugnando fessus. Bollius nullo responso reddito, Kjartani letale vulnus inflixit. Bollium extemplo subiit tanti facinoris pœnitentia, quare consedit humeros moribundi sustinens, sicque Kjartan in gremio ejus exspiravit animam. Omnes deinde res, Laugamannos et Hjardhyltingos intercedentes, tam ante quam post, gestæ sunt, quemadmodum in Laxdalensium historia memoriæ proditum est, etsi hic pauca de his rebus litteris mandata sint. Defuncti Kjartanis corpus per septem dies servabatur; tum Thorsteinn Eigilis filius, avunculus Kjartanis, ædem sacram domi suæ Borgæ exstruendam curaverat, quo funus Kjartanis deportatum ibique sepultum est, æde tum, ut ferunt, nuper consecrata atque in albis [2]). Ob cædem Kjartanis omnes Osvifuris filii exilio damnati, et pecunia publica peregre deportati sunt, quorum nullus exinde in patriam rediit; sic evenit, quod Stefner Thorgilsis filius, cog-

[1]) quem manu gestavit gladium, B. [2]) vide Hist. Eccles. Isl. Tom. 1, pag. 82.

natus eorum, prædixerat, cum eum in comitiis ob prædicationem religionis exilio damnarent, ut supra demonstratum est [1]); neque minus eventu probatum est, quod rex Olavus, Kjartane digrediente, dixerat, quod Bollius hoc facinore magnum fatum [2]) et infortunium sibi contraxit.

De præstantia regis Olavi Tryggvii filii.

Cap. 234. Nunc memorare libet, regem Olavum Tryggvii filium, quantum omnes homines, eo tempore in regnis septentrionalibus florentes, statura, robore, artiumque peritia antecelluerit, tantum plerisque regibus præstitisse eximia in omnibus rebus magnificentia et in suos liberalitate. Quod testatur Hallarsteinn (Steinn aulicus v. aulæ poeta):

Disseminavit rex prunas maris,
scuta donavit, tunicas et arma;
præbuit armipotens laudum
materiam columinibus clypei.
Rex imperiosus pictas naves
dono dedit, nec liberalitas
principis ad mediocria spirabat.
Is regum est potentissimus.*)

[1]) cap. 142. [2]) difficultatem s. periculum, F.

*) Ordo: *hilmir háði hafglóð, ok gaf skjaldu* [1]), *vopn ok skikkjur; hjalti-ríkr veitti stétt-hrings-stöfnum* [2]) *stikka a); stórráðr stillir fékk steinda knörru, en mildi hildings hæfði* [3]) *ekki b); hann er ríkstr konúngmanna.* Abest a S.

[1]) sic dedi pro *skjaldir* A.; *skjaldar* B. C.; *skjöldu* F. [2]) sic A.; scribendum puto *stöfum*, columinibus; præsertim si in Cod. scriptum fuit *stöfvum* vel *stöfuum*. [3]) *harri*, F.

a) *stikki*, carmen brevius. Occurrit Knytl. c. 27, his, *stundu vér til stikka*, meditamur carmen, *vel tamiðr* (forte *samiðr*) *stikki*, carmen bene compositum; hinc *Sörlastikki*,

Rex Olavus per hiemes plurimum temporis in otio agebat, magnum apud se habens hominum numerum, aulicosque suos et amicos conviviis excipiens, et magnis compotationibus et hilaritate eos afficiens; meminit quoque Hallarsteinn:

Satellites regis, quavis ursi
nocte, aurea pocula dextris
tenuere; rex potavit ibidem
æquoreo lætus candore.
Rex late celebris studuit
vina suis satellitibus
valde munificis eligere.
Olavus sub solis via.*)

---

carmen de Sörlio, Sk; *Haraldsstikki* Hkr. hist. Har. Severi c. 88. Duabus autem literis mutatis, prodit ordo, qui mihi se magis probat, quam quem supra dedi, nempe si *veitti* mutatur in *veitic* (i. e. *veitik*), talis scilicet: *hjaldr-ríkr hilmir sáði hafglóð, ok gaf stètthríngsstöfum vopn, skjaldu ok skíkkjur; veitik stikka*, ɔ: bellicosus rex distribuit aurum, et dono dedit præliatoribus clypeos, arma et tunicas; carmen fundo (id quod carmine celebro). *Stètt-hríngsstafr*, pro *stafr hríngs stèttar*, duplici modo explicari potest, nam *hríngr* et ensem et serpentem significat, itaque *hríngs-stètt*, stratum ensis v. serpentis, i. e. clypeum vel aurum; nisi malis per *stètt* intelligere fundam annuli, & *stètthríngr*, annulum funda instructum, pro annulo in genere. *b*) *hæfa* h. l. modum tenere; *hæfði ekki*, non mediocris fuit.

*) Ordo: *Hirðmenn konúngs knáttu hverja húns nótt* [1]) *a*) *spenna gyld* [2]) *horn; vísi* [3]), *glaðr græðis meldrar b*), *drakk þaðra. Víðfrægr allvaldr tæði velja vín sínum einkar mildum* [4]) *hirðmönnum. Ólafr und veg sólar c*). Ignorat hanc stropham, S. [1]) *at* add. B. [2]) *gild*, crassa, Sk. quod cum *græðis meldrar* apte connecti potest, qs. auro aspera pocula. [3]) *vísir*, id. B. [4]) *mildr*, munificus, F. Sk. aptius.

a) i. e. hieme. *b*) *græðis meldr*, aurum esse puto; *meldr* id. q. *mèl*, farina, metaph. albedo, it. quodvis lucidum. Num reponendum *Grotta meldrar*, farinæ Grottii,

Per æstates rex Olavus assidue in navibus bellicis excubavit, terræ littora cum copiis prætervectus; sic Hallarsteinn:

Letiferum exacuens serpentem
animositate turgens excubavit
in bellicis navibus sæpe; latera
maduere unda, fluctus ruebant.
Dux exercitus, pugnæ cupidus,
proras inauratas a portubus procul
fecit coruscare, rostris hiantibus.
Aula, et omni ex parte præstantissimus.*)

De Eindridio Plauto.

Cap. 235. Dicitur rex Olavus, cum classem suam ex Nidarosia soluturam ferme paravisset, die quodam copias suas et classiarios convivio excepisse; hic poculis convivæ largiter indulgebant, rege omnibusque quam hilarissimis. Cum multi, ut fieri solet, super vina sermones sererentur; quærentibus, an omnis Norvegiæ populus christianus factus et baptizatus esset, Ulfus Rufus, signifer Olavi regis,

---

i. e. auri? *c*) Hic versus pars est strophæ intercalaris; forte cohæret cum versu: *hann er ríkstr konúngmanna*, nempe, *hann Ólafr er ríkstr konúngmanna und veg sólar*, o: Olavus regum potentissimus est sub via solis (i. e. sub cœlo, ubique terrarum.)

*) Ordo: *Móðbrútinn morðlinns a) hvessi-meiðr bjó* [1]) *mörgu sinni úti á skeiðum; húfr svall, hrannir fèllu. Gunnfílkinn* [2]) *herruðr lèt gylt hlýr blíkja fjarri höfnum: skoltar gnöptu. Höll ok fremstr at öllu b)*. Hæc stropha abest in S.

[1]) *svall*, turgebat, F. alienum h. l. [2]) *gunnfílinn* B. contra metrum.

a) *morðlinnr*, serpens cædis (pugnæ), ensis; *hvessimeiðr*, qui acutum reddit; præliatoris circumscriptio. *b*) hic versus pars est strophæ intercalaris; *höll* videtur esse pars appellationis cœli.

respondit: tantum, credo, abest, inquit, ut omnis hujus terræ populus baptizatus sit, ut fieri posse credam, ut nonnulli homines haud procul ab nobis sint non baptizati. Dictum illico regi, quid dixisset Ulfus; quare statim Ulfum ad se arcessi jubet, et quærit: dicis tu, Ulfe! credere te ethnicos homines heic prope nos habitare? Ulfus respondet: latius verba mea, domine! accipiuntur; fatendum tamen, me nonnihil eo spectasse. Rex loquitur: utrum conjectura hoc colligis, an certis argumentis nosti? Id solum ad te deferam, domine! ait Ulfus, cujus aliqua præsto sint argumenta. Rex: itaque vere expedi, quorsum ista spectent. Ita esto, ait Ulfus: vir est in Thrandheimo interiore, nomine Eindridius, cognomine Ilbreidus (Plautus), parvo natu juvenis, qui uxorem nondum duxit, ad quem non ita pridem paternæ possessiones transiere, pecuniis dives, statura grandis, aspectu pulcher, cujus robur et artium peritia haud vulgo nota; idem pecuniis liberalis amicisque valentissimus; atque ea fama ad me venit, domine! Eindridium non esse baptizatum. Rex contra: damnum est, hunc hominem, de quo tam bene loqueris, creatorem suum non nosse; nunc tu, Ulfe! quoniam hanc rem indicasti, Eindridium convenito, quot viris lubet stipatus, et tentato eum ad me deducere. Ulfus respondet: ibo, si vis, neque tamen cum frequenti comitatu, non enim Eindridius is est, quem invitum ullam ad rem cogam; potius una ibimus viginti et quatuor viri. Mox Ulfus, comparata nave quadam actuaria, iter cum suis perrexit, donec ad villam Eindridii pervenit; ascendit ad villam cum viris duodecim, aliis duodecim custodiendæ navi relictis. Eindridius foris constitutus Ulfum honeste

salutavit, rogavitque ut, quamdiu vellet, apud se cum omnibus suis maneret; erat enim ei Ulfus colloquio notus. Ulfus, lubenter accepta re, cum suis intrat; ædes erant splendidæ et magnæ; cum ingressi consedissent, Eindridius infit: sic res est, quod novi, vos alium acceptasse morem, quam quo ego ac familiares utimur; cum autem vos commodo et sincero hospitio excipere velim, eligito, unane omnes, an in singula quique æde bibamus. Ulfus respondet: utrisque magis volupe duco, nos omnes una bibere; sunt enim mihi tecum negotia, quæ in otio proferre optaverim; tam vero egregium regem habemus, ut, si quid labis ex alieni moris consvetudine traxerimus, is id brevi sua benevolentia purgaturus sit. Eindridius loquitur: hoc quoque mihi maxime arridet; quot vero comites tibi sunt? Ulfus ostendit, alios duodecim viros ad navim esse. Curabo itaque homines, ait Eindridius, qui res vestras custodiant, tui vero comites domum eant, vos enim universos exoptatos adesse jubeo. Ita factum. Deinde cerevisia intro lata; multi aderant convivæ ab Eindridio invitati, lautissimumque apparatum convivium. Ulfus Eindridio dexter assidebat, et inde deinceps comites ejus. Cum vero convivæ hilares facti erant, Eindridius Ulfum de adventus sui causa quæsivit, et an longius ire cogitasset. Ulfus respondet: rex Olavus me huc misit, nuntiatum tibi, quod te, ut multos alios, honorifice et amice ad convivium Nidarosiæ apparandum invitat; multaque de ea re verba adhibuit, ne tu hoc iter suscipere detrectares, bonam enim de te famam accepit. Eindridius respondit: gratias regi ago pro invitatu suo et honorifico de me judicio; die vero crastino, cum nos om-

nes sobrii et sani erimus, orationi tuæ responsum dabo. Vespere magna fuit convivantium hilaritas; proxima nocte placido somno quiescebant; mane vero, ubi homines sedes suas repetiverant, Eindridius Ulfo dixit: de re tua id dicere lubet, quod tu heic, quamdiu volueris, convivio adhibeberis; mea autem ad regem profectio differetur, quod nihil causæ sit, cur hac vice eo proficiscar; sed quum primum postulaverit necessitas, eum conveniam; idem quoque domi manebo, neque usquam me subducam, si me convenire volet rex, id quoque regi significes, licet, velle me ejus amicum esse, si bene mecum aget. Illi sic finem colloquendi fecerunt, ut sermones eorum amice cesserint. Ulfus confestim, ut paraverat sese, ex sinu navem duxit, remanente Eindridio; regique verissime de peractione mandati et responsis Eindridii exposuit. Rex Ulfum interrogavit, quid de moribus Eindridii expiscari potuisset, an cultui sacrificali admodum deditus esset? Ulfus respondit: neque ego sensi, eum simulacra colere, neque mihi quisquam id dicere habuit, nullum enim delubrum in villa sua habet. Itaque ad finem propius sum, ait rex; ipse eum visum ibo [1]) necopinato, quandoquidem me convenire non vult. Quæ regis verba cum audivisset Ulfus, clam, qui sibi a calceis fuit [2]), equitem ablegat, jubetque, ut quam citatissimo cursu equitet, Eindridioque venturum cito regem indicet. Rex Olavus iter summa celeritate paravit, noctu cum trecentis viris in interiora sinus navigavit, ad villam Eindridii primo mane pervenit, et cum omnibus copiis extemplo escendit. Cum autem

[1]) cum numeroso comitatu, add. B. [2]) hominem, B.

rex paululum a littore processisset, obvius ei venit Eindridius cum magna hominum caterva, regemque summa comitate salutatum domum ad ædes cum omnibus suis invitavit, gratum sibi fore dicens, si convivio, quod ipsis apparavisset, adhiberi dignarentur [1]). Rex, quæ obtulerat Eindridius, lætus accepit; cum vero cœnaculum adirent, Eindridius infit: ita res est, domine! me minime negare, mores & instituta nostra, ut fama fert, invicem non congruere; et cum eo, quod nostro convictu uti nolitis, in hoc cœnaculo, quod præparatum vobis est, habitabitis, nos vero aliam nobis ædem quæremus. Rex respondet: tu tuique viri cœnaculum tuum habetote, quamdiu autem hic commorari voluerimus, tuo sumtu nos sustentato; nos foris propter cœnaculum tentoria nostra figemus. Factum, ut rex jusserat; nulla res ibi defuit, quin rex summa liberalitate exciperetur, et perinde omnia ministerii officia peragebantur. Et primo convivii die rex Olavus Eindridium ad se arcessi jussit; ille ingressus regem salutavit; rex, salutatione comiter accepta, sic loquitur: quamvis convictu ethnicorum hominum uti nolo, tamen volo heic sedeas, ut tecum colloquar. Eindridius hoc ipsius arbitrio permisit. Dicitur Eindridius, cum in tentorium ad regem ingrederetur, tali ornatu usus: rubram gestabat tunicam coccineam, in capite cucullum bombycinum auro pictum, vitta aurea caput redimiverat [2]), crassam armillam dextra gestavit, sed in sinistro ejus brachio puerulus sedebat, admodum venustus, quatuor aut quinque annorum, vultu Eindridio perquam similis. Data

[1]) rex dignaretur, B. [2]) frontem circumdederat, B.

Eindridio sella, in qua consedit ante mensam regiam, puerum genu suo imponens. Tum rex: vir es magnæ staturæ formaque pulcra; quod si artium peritia has dotes æquat, haud multi in Norvegia tui pares erunt; ideo decet te, creatorem tuum nosse, deumque pro suis donis laudare; uxoremne habes? Eindridius: non habeo. Rex: tibine puer ille pulcher, qui gremio tuo insidet? Eindridius: nullos habeo liberos, domine! hic puer nepos meus est ex sorore; perinde vero illi erit, si quid pollebo, ac si meus sit; non enim plus eum diligerem, etsi meus esset gnatus. Rex: ecquod fanum ad villam tuam est? Eindridius: nullum hic fanum est. Rex: quam religionem observas, si ethnicus, neque tamen cultor sacrificiorum es? Eindridius: videbor tibi forsitan imprudentius loqui; mallem te potius de aliis rebus quibuslibet sermones serere, neque de mea religione inquirere, nam nullam mihi habere videor; etenim firmiter animo constitui, me nunquam trabibus aut lapidibus fidem habiturum, etsi in imagines formata sint dæmonum aut hominum, de quibus, quid effecerint, nihil mihi compertum; quanquam vero mihi traditum est, istos homines multum valuisse, ea tamen res haud vero mihi similis videtur, qui compertum habeam, simulacra, qui dii appellantur, omni ex parte me ipso esse turpiora et imbecilliora. Rex: quidni igitur in verum deum credis, qui omnia efficere potest, et in ejus nomine baptizari te sinis? Eindridius: hujus rei ea causa est, quod prius non veniști, nec ulli tuo nomine, qui mihi palam facerent opera dei, quem omnipotentem diciti; altera causa, quæ plus habet momenti, est, quod, cum credere noluerim patri meo aliisque propinquis,

quæ mihi de diis suis dixerunt, decretum mihi est, nunquam eam acceptare religionem, quæ illorum plane contraria sit [1]), nisi perfecte intellexero, vestrum deum tam esse omnipotentem, quam eum dicitis. Tum rex a suis quæsivit, quos post cædem Skeggii Yrjensis per totum Thrandheimum religionis ergo dimiserat, an verum esset, quod Eindridius diceret, eos non prædicasse illi nomen dei. Fatentur, verum esse, etenim ipse cum commilitonibus suis, inquiunt, piraticæ excercendæ ergo profectus erat, postea excidit nobis, hoc indicare tibi. Tum rex Eindridio dixit: audistine, Eindridi, me pœna affecisse nonnullos homines, qui in amplectenda religione dictis meis obsequi noluerunt? Audivi, ait Eindridius; verum haud equidem pœnas mihi abs te metuo; ut verum tibi dicam, nulli principi invitus servire decrevi, potius mortem pati, quam ab ullo homine cogi malo; atque scito, quamvis aliis aliquantulas minas adjeceris, hanc viciniam ita esse ab incolis paratam, ut non necesse habeam, metu coactum aliis obsequi; quod si vero nullos terrores mihi inferre paras, bene de te merebo, pro captu meo [2]), ita tamen ut eandem quam antea religionem sim observaturus. Rex: ita ex dictis tuis judico, te hominem esse libere loquentem, quique verum tandem perspicere sapias; de his autem hac vice non plura loquar, quam tibi commodum videatur; illud vero memorare libet, audivisse me, id quod verum esse crediderim, te artium peritia alios antecellere; quænam sunt artes, quas supra vulgus callere tibi videris? Eind-

[1]) quamque ignoti homines nullaque mihi necessitudine juncti annunciant, add. B. [2]) et sine omni fraude, add. B.

ridius: in promtu responsum est, domine! nullas calleo; homo sum adolescens, paulum a pueris egressus, modo patrem amisi meum, atque exinde maxime animum applicui rei familiari administrandæ familiæque sustentandæ: dum autem vixit pater meus, et in puerili ætate fui, tantum amavit me, ut contra voluntatem meam facere nollet quicquam; quare idem accidit mihi, quod multis pueris solet, ex quo patrem & cognatos [1]) novi, ut animum ad nihil adverterem, quod ad excolendam humanitatem faceret, sed ad sola gaudia puerilia et lasciviam, donec patrem amitterem. Rex: ideo hac de re vera proferre potes, quod tibi non invidebo artes tuas; potius fieri potest, si eas mihi aperueris, ut is, qui primo dedit, peritiæ tuæ fructum ad te redundare faciat. Eindridius: magnopere hanc rem urges, inquit; atqui non in artibus ponendum judico, quod juvenes in natando se exercentes spectaverim. Rex: bene tu quidem facis, quod propriam laudem et gloriationem vitas, quamvis vera dicens; pleræque enim sunt artes, quæ prius spectandæ sunt, quam eas calleas: quid vero porro adferre vis? Video, ait Eindridius, non posse me postulationem tuam subterfugere, nisi aliquod responsum dem interrogationi tuæ; contrectavi arcum, cum alii pueri destinata feriendo se exercerent, ipse vero tela arcu emittere non didici. Rex: fieri potest, ut primo conatu destinata non ferieris; age vero, tertiam artem ede. Eindridius: iniquus verba mea intelligis, domine! atque caute mihi (ut dicunt) inter undam et scopulum navigandum; scilicet non decet me ad dicta tua tacere, tu

[1]) matrem, B.

autem verba mea pro lubitu observas, et paulo aliter quam dicta sunt accipis; porro in artibus non censendum puto, quod puer gladiolos, et id quidem imperite, manu tenui. Rex: vero simile est, inquit, te hoc haud perite lusisse, antequam accessit exercitatio; nunc quod reliquum est diei, liberum te dimitto; et bene quidem tu nos oblectasti. Eindridius tentorio ad suos egressus est. Postridie, cum rex aliquamdiu poculis indulsisset, Eindridium ad se arcessi jussit, eumque adfatus: an tu baptizari vis, inquit, et veram religionem non coactus amplecti? Eindridius respondit: non tantæ levitatis sum, ut nunc aliud in animo quam heri agitem. Rex: pactum inter nos animo concepi: ego hominem ex cohorte mea conciliabo, qui tecum in artium peritia certet, qui si te in artibus, quas heri edidisti, superaverit, in verum dominum Jesum Christum credito; tu vero, si superior discesseris, a mea postulatione liber esto, religionemque quam volueris habeto. Eindridius: at enim vero neque ego mihi ullam in artibus peritiam tribui, neque calleo ullas; sed magni faciendum est domini mandatum, quare ferendum mihi est, te in rebus omnibus nos intercedentibus pro lubitu agere, si nullis minis rem peragas, neque ego aperte dicta mea irrita reddam; quis vero is homo est, quem mecum componis? Rex: non aliud æquius judico, quam ut ipse aggrediar; sic enim et facillime novero qui sis, et tu ab ignominia vacuus eris, utercunque nostrum vicerit; summam enim in artium peritia famam consequeris, si me superabis, multo tamen augustiorem victoriam reportabis, si in certamine victus præmium quod ante dixi

referes [1]). Eindridius: etsi in omnibus artibus omnium præstantissimus essem, quarum nunc nullas aut paucas calleo, tamen tecum frustra concertarem. Rex: ea quoque conditio multo optima mihi videtur, nos non experiri, teque victum fateri. Eindridius: hoc quidem in promtu fuerit, si vel ante spectavero, quid natando valeas. Deinde in littus descendunt, et universa multitudo; rex & Eindridius vestes exuunt, ab terra abnatant, diuque colludunt, alter alterum vicissim demergunt, et postremo tamdiu sub aquis se continent, ut prope desperarentur emersuri; factum tandem, ut rex Olavus emergeret et ad terram adnataret; in terram egressus requievit, vestes autem non induit. Nemo sciebat, quid Eindridio factum esset, neque ex rege de hac re quærere ausus est quisquam. Longo autem elapso temporis spatio, vident Eindridium cito lapsu ferri; is jumentum sibi comparaverat, quippe insidens tergo magni vituli barbati [2]), quem barba utrinque prehensa regebat; prope autem a terra cum abesset, vitulum dimisit. Tum rex exsiliens, eum natando aggreditur, et depressum diu sub aquis continet; cum autem emerserant, rex terræ adnatavit, Eindridius vero adeo viribus erat desertus, ut saluti ipse consulere nequiret; quod videns rex, aquis se commisit eumque servavit. Cum Eindridius vires resumserat, et se vestibus induerant, rex dixit: multum natando vales, Eindridi! deo tamen acceptum referendum est, quod nunc inferior discessisti, ut videre erat; cum necessum ha-

[1]) si hoc præmii propositum est, B. F. [2]) *granselr*, phocæ genus nescio quid. Spec. reg. pag. 177 *grænselr* audit, ubi tamen var. l. *granselr*.

buerim te ad terram devehere. Ea de re, quod lubet, feras judicium, ait Eindridius. Qui vero vitulum non interfecisti, ait rex, et in siccum extraxisti? Quia nolui, ait Eindridius, dicere vos posse, eum a me mortuum inventum. Jam proxima exiit nox; postero vero die rex jaculandi certamen proposuit. Eindridius reponit: justo severius mihi judicasse videris meam in profitendis artibus libertatem (ostentationem); nunc quoque hoc minus causæ est, cur certare aggrediar, quod hujus artis minus gnarus sum, quam prioris. Cui rex: bene, inquit, actum putabo, si ita sit; adeoque restat, ut non experiaris, atque victum fatearis te. Eindridius reponit: hujus diu supererit potestas; neque ego cuiquam eam oblectationem invideo, si cui volupe erit, ut spectet, quantum intersit inter tuam in artibus peritiam ac meum ineptum conatum. Tum in sylvam eunt, prope a villa sitam; rex, deposito pallio, tabulam in clivo [1]) statuit, longumque teli jactum instituit; deinde datus illi arcus et sagitta; emisit arcu sagittam, quæ in exteriorem tabulam venit, ibique fixa stetit; post Eindridius sagittam interius in tabulam, neque tamen mediam, misit; rex altera vice jaculatus est, cumque ad scopum ventum est, sagitta in media tabula stetit, quem jactum omnes egregium judicarunt. Eindridius quoque peritiam regis destinata feriendi laudavit, dicens, frustra esse jaculando æmulari. Rex eum monuit, ut si vellet abscederet seque victum in hac arte fateretur; Eindridius autem hujus copiam fore dixit, etsi prius quid posset ex-

[1]) *spán í bakka*] *spánbakka*, clivum in quo statueretur tabula constituit, B.

periretur. Tum sagittam Eindridius arcu emisit, quæ in crenam venit sagittæ, quam rex posterius miserat, sicque utræque stetere. Heic rex: præstans vir es, Eindridi! in artium peritia; hoc tamen certamen nondum satis expertum est; nunc puer ille pulcher, quem pridie tibi carissimum ostendisti, capiatur, et pro scopo, quem feriendo destinemus, ponatur, prouti ego præcipiam. Sic factum est; tum rex calculum lusorium [1]) capiti pueri imponi jussit: nunc calculum ex capite pueri missa sagitta excutiamus, ait rex, ita ut puer sit illæsus. Facias licet, si vis, ait Eindridius, sed ulcisci eum voluerim, si ei noxa fiet (si interfectus erit). Deinde rex caput pueri longo panno linteo circumligari [2]) jussit, cujus extremitates a duobus viris tenerentur, ne quo puer caput movere posset, audito sagittæ stridore. Tum locum adiit rex, ubi stare oportuit, et se signo crucis notavit, similiter aculeum sagittæ, priusquam emitteret, crucis signo sacravit; Eindridius autem a facie valde rubuit; sagitta sub calculum volavit, eumque ex vertice pueri excussit, et calvam tam prope stringebat, ut tantulum sangvinis ex vertice manaret. Rex Eindridium adgredi jussit et sagittam deinceps mittere, si luberet; sed altera ex parte mater & soror ad Eindridium ac-

[1]) *hneftöflu*] *hneitaufl* B. corrupte, ut puto. Intelligi puto calculum ludi, *hneftafl* dicti, qui qualis fuerit mihi non liquet, vide Vaticinium Heidreki in Hervaræ vita, stropha 26. 32, vitam Gullthoreris mscr. & Fridthjofi Strenui vit. cap. 3, danice versam in libro: *Nordiske Kæmpehistorier ved C. C. Rafn.* 3*die Bd. Kh.* 1826. pag. 79 sequ., ubi pro ludo latrunculorum (schachico) cepisse interpretem doctissimum video. Diversum ab hoc fuisse svadet tum nomen tum locus Hervaræ vit. l. c. 26.

[2]) panno linteo oculos pueri obvelari et pone occiput revinciri. B.

cedentes orant multo cum fletu, ne rem aggrediatur. Eindridius regi loquitur: haud equidem metuo, si periculum fecero jaculandi, ne puero noxam inferam; verum tamen hac vice jaculari supersedebo. Proinde tu mihi victus esse videris, ait Rex. Eindridius refert: ea de re, uti volueris, judices; et sane licet, hoc ita accipias, quod mihi videris judicium de rebus nos intercedentibus ab æquo nimium deflexisse. Deflexi profecto, ait rex, idque commodo tuo. Deinde ad villam itum est. Rex hilarissimo animo fuit, et item Eindridius. Tertio vero die rex Eindridium affatus: nunc, inquit, cœli status est jucundus et tranquillus; jam age, experiamur certamen gladiolorum. Tum omnes homines ædibus exibant. Dati cuique bini gladioli, quibus aliquamdiu luserunt; mox tertius additus, tumque sic luserunt, ut semper unum sublimem præ se haberent, capulosque delabentium jugiter manu prehenderent; in quo ludo uter majorem ostenderet agilitatem, nemo dignoscere potuit. Ita longo tempore elapso, infit rex: hoc certamen nondum satis experti sumus. Tum in littus descendunt, magnamque longam navem conscendunt, quam rex suos jussit continuis lateribus remorum ordinibus propellere *); heic rex extra navem in remis processit proram versus, quantum in longitudinem navis se porrigebat, atque sic tribus gladiolis lusit pari dexteritate, ac si in terra consisteret; idem quoque fecit

*) i. e. ita ut ex quovis semi-interscalmio (*hálfrými*), duo remi, alter ab dextro, alter ab sinistro navis latere, versarentur, quo numerus remorum duplo major, adeoque intervallum duplo minus extitit; vide scripta Soc. litt. isl. Tom. 6, pag. 138-9.

Eindridius; rex in omnibus speciminibus edendis primas partes peregit, secundas Eindridius. Deinceps rex altera vice, eodem modo quo prius, secundum remos inter remigandum processit, atque deinde ante proram, ita ut non magis tum quam antea in gladiolis frustraretur, neque calcei quidem madefierent; porro ad alterum navis latus secundum remos puppim versus processit, atque ita demum navim conscendit; quod qua ratione efficere posset, intelligere potuit nemo. Eindridius coram rege, navim conscendente, se stitit, eumque tacens suspexit. Cui rex: qui nunc stas, neque secundas ludis? Hic Eindridius: hoc, domine! nullo pacto efficere potuisti sola ludendi peritia, sed auxilio dei adjutus, in quem credis; qua ex re intelligo, eum omnia efficere posse, ideoque in eum ex hoc tempore credam, eum solum esse deum, neque ullum alium. Rex Olavus his ejus dictis valde lætatus, deum multimodis laudibus celebravit, quod ei hanc intelligentiam tribuisset. Proinde rex Eindridio multa dei omnipotentis miracula exposuit, quo facto Eindridius cum suis omnibus baptizatus est; qui deinde in numerum aulicorum regis Olavi receptus, cum rege Nidarosiam profectus est. Sunt qui dicant, eum cum rege Olavo in Serpente fuisse (pugnæ Svöldricæ interfuisse), ibique cecidisse.

Cap. 236. Rex Olavus id deinceps sæpe speciminis loco simul edidit, suis navem secundum littora propellentibus, ut extra navem per remos incederet, et gladiolis luderet; cujus rei mentionem facit Hallarsteinn:

Princeps duas exercuit simul
Artes, quas novi pauciores
exercuisse custodes gladiorum;

artes recenseo principis.
Scutorum candidorum depulsor
pugionibus ludebat dextere,
et missilium rubefactor, ad omnes
artes promtus, remis incedebat.*)

De sponsione regiorum et prærupta scandendi peritia.

Cap. 237. Rex Olavus, cum se paraverat, a borea ex Thrandheimo cum copiis navigavit, austrum versus secundum littora tendens, iterque remissius pergens; multis in locis commoratus, mores hominum emendavit, sicubi opus esse intellexit, et provincias procuratorumque munera, quacunque iret, suis administranda tradidit; in quo itinere multa memorabilia acciderc, quæ memoriæ prodita aut carminibus celebrata sunt. Rex Olavus naves suas in portum quendam deduxerat, unde non procul mons quidam abfuit præaltus, saxis undique arduus, rupesque præruptissimæ. Accidit die quodam, ut duo regis aulici de sua in exercitiis peritia colloquerentur, utrisque primas sibi deferentibus artiumque majorem numerum jactantibus; mox verbis contendere, uter rupium scandendarum peritior esset; qua de re tandem contentio eo arrogantiæ processit, ut pignore certarent, altero annulum aureum, altero caput suum opponente; de hac re ita Hallarsteinn:

*) Ordo: *Gramr framdi* [1]) *tvær íþróttir senn, þær ek veit færi* [2]) *gunnelds geymi-runna* [3]) (p: fremja); *ek tel tiggja vinnr. Hnig-baldr hvítra skjalda lèk vandla handsöxum, ok fleinrjóðr, frár flestra dáða, gekk á árum.* Abest hæc strophe in S. [1]) *framar* Sk. [2]) *færri*, id. B. [3]) sic B.; *geymi-runnar* in nom. C.; *geymir unna* A.

Non vena sistitur poetica :
sciant homines, me fando audivisse,
duos regis aulicos in caput humanum
et lucidum annulum dedisse pignus.
uterque principis satelles
se altero peritiorem rupis
scandendæ contendebat; permulta rex
majora bellicosus perpetravit.*)

Post hanc sponsionem multasque contentiones verborum utrique in rupem eniti cœperunt; alter eo usque evasit, ut a vitæ periculo et casu prope abesset, qui cum timore reditum tentans, illæsus, summa tamen cum difficultate, elapsus est; alter prægressus cum in mediam rupem evasisset, neque progredi, neque regredi, neque in ullam partem se movere ausus est; etenim rupes vix volam aut vestigium admittebat; qui cum in id discriminis pervenisset, ut certam prævideret ruinam et mortem, si quo pacto inde se moveret, ubi erat constitutus, præ ingenti timore clamare cœpit, ut rex Olavus aut ejus satellites sibi succurrerent; sic in hanc rem Hallarsteinn:

*) Ordo: *Vask Jafns* [1]) *vætki rofnat a*): *viti menn at ek frá tvenna hirðmeðr b*) *konungs veðja manns haus ljósum hringi. Hvárr hjörva snyrtir grams lèzt öðrum færri í hamri; styrremdr stillir framði hermart* [2]) *e*) *stærra.* Hæc stropha abest in S.

[1]) *Jafn* Sk. [2]) *hafði mart* F. Sk.

a) Verbo tenus: latex Odinis (v. nani v. gigantis) non rumpitur (i. e. non cessat); sensum in versione dedi. *Vask*, n. humor, aqua, lavacrum, a *vaska*, lavare, Sn. Edd. 183, 6, it Heidarvígss. in prosa; a *vás*, udor. *Jafn*, puto esse nomen nani vel gigantis, vel Odinis, qui et *jafnhár*; sic prodit poeseos appellatio; *rofnat*, subint. *er*, ruptus est, cessavit. *b*) plur. a nom. *hirðmaðr*, quæ forma occurrit in Hkr. hist. Sigurdi Hierosolymip. c. 10, str. 2. Fósthr. e. 22, str. 2 & alibi. *c*) *hermart*, permultum, ut *þjóðmart*, in prosa Vatnsd. c. 15, in fine.

Dein alter regiorum satellitum
intrepidus aggressus est
scandere rupem; difficilis evasit
ascensus vibratori gladiorum.
Dispersor ignis æquorei
nec sursum nec deorsum potuit
a medio excelsum scandere montem;
de vita illius actum fuit.*)

Rex Olavus, cum clamorem ejus audivisset, et quid rei esset, intelligeret, suos hortatus est, ut servarent hominem, insigne virtutis documentum esse testans, si suorum aliquis tam strenuus esset, ut id efficere posset; cum vero neminem sustinere animadverteret, pallium deposuit et ipse rem aggressus est; in rupem ad hominem accurrit, perinde ac si planities esset, hominemque sub alam receptum paulo longius in prærupta montis portavit. Id quod Hallarsteinn testatur:

Audivi fando, regem cito conscendisse
petram arduam; rex prudens consilio
in rupem evolavit curriculo;
hominem petitum ivit fortiter.
Princeps, præclarus fortitudine,
gestavit pugnatorem subalarem,
(id olim fuit); ita rex suum aulicum
portavit et processit longius.**)

Tum rex reversus ex rupe descendit, hominem subalarem gestans, quem incolumem in plano

*) Ordo: *Síðan réð annar öðlinga manna ókvíðinn at ganga í berg; stigr varð strangr stála sveigi. Ölna foldar eldruðr* [1]) *mátti hvarki klífa hátt fjall upp eða niðr frá miðju; hans líf var þrotið.* Abest in S.

[1]) *eldaudr* B. qs. *eld-eyðir*, consumtor ignis; ceterum eadem fere appellatio supra occurrit.

**) Ordo: *Ek frá hilding ganga hratt* [1]) *í bratta gnípu; ráðvandr hilmir rendi rík; hann réð prúðr* [2]) *eptir manni. Þrekleyðr* [3])

constituit; omnibus præsentibus hoc summæ virtutis specimen esse affirmantibus, quod quoque exinde ore vulgi celebratum est.

De Olavo rege et Thorkele Dyrdile.

Cap. 238. Sæpe accidit, cum rex Olavus in portubus naves suas teneret, et custodes navium in terra vigilias agerent, ut rex necopinantibus illis ex terra noctu superveniret, quem in nave sua quiescere putaverant; illi autem non animadverterunt, neque quisquam novit, quo pacto in terram egressus esset, etsi vigilarent et observarent. Accessit quoque, quamvis terra, ut multis in locis usu venit, multo rore perfusa esset, quod neque calcei ejus, neque vestes imæ, quamvis demissis uteretur, madefiebant; neque unquam rorem diffluxisse animadverterunt, etsi, quà modo transgressus erat, terra gramine luxuriaret. Hinc classiarios magna incessit cognoscendi cupiditas, qua ratione hoc fieret, nemo autem ausus est talia ex rege sciscitari. Nocte quadam accidit, ut Thorkell Dydrill (Cauda), avunculus regis, obsideret, si qua certior fieri posset, quo pacto rex ita in terram ex Serpente egrederetur, ut custodes quamvis vigiles non possent animadvertere. Itaque, aliis in Serpente somno obrutis, surgit lecto, vestes induit, celsam adit*) puppim, ibique regem Olavum in lecto cubantem animadvertit; tum Thorkell in trabe navis

---

þengill hafði signþoll[4]) *und hendi*, (*þat var endr*); *stillir bar svá sinn dreng ok gekk lengra.* Abest hæc stropha in S.

[1]) *hvört*, F. inepte. [2]) *framt* id. F. [3]) *þrekreiför*, fortitudine ornatus, B. [4]) *signþollr*, in nom. B. C.

*) or *lyptingunni*, h. l. legendum est *at lyptingunni* ut contextus docet.

marginali, ad extremitatem pontis, qui ex navi ad terram ducebat, consedit, intro in navem spectans, tergo ad terram obverso, et sic a somno se abstinuit, ne rex ullo pacto ex puppi egredi posset, se non animadvertente. Thorkell elegantiæ studiosus fuit, et in vestitu et cultu splendidus; nunc vero indutus fuisse dicitur eximio pallio bombycino, optimis griseis pellibus subsuto; cum autem paululum mane processisset, Thorkell inopinanter humeris raptus, subitoque ex trabe, cui insidebat, in mare deturbatus est; ecce, aderat rex Olavus, ex terra adveniens, qui, cum eum ex navi deturbaret, his verbis usus est: hoc nunc habe pro curiositate tua! et cum dicto funem ei adjecit et in Serpentem retraxit. Hoc memorat Hallarsteinn:

Aggredior perhibere quarta
præclara monumenta gloriæ
herois bellicosi, qui prætendit
clypeum in impetuosa pugna.
Is, qui magno animo ciet
tempestatem durorum gladiorum,
Thorketilem animo promtum subito
e Serpente deturbavit in mare.*)

*) Ordo: *Ek fet inna hin fjórðu dáðstyrk dyrðar-merki dólgminnigs Sköglar borðs skelfi-hríðar skýbjóðs a*). *Stórlyndr skyndir stirðra branda storms nam hrinda hvatlyndum* [1]) *þorkatli hart* [2]) *fur borð á Ormi.* Abest hæc stropha in S.

[1]) *hvatskyndum*, celerem, B. [2]) *hodd* F. Sk. hoc ordine: *hodd-kyndir nam hrinda þorkatli, hvatlyndum stirðra branda storms*, &c. Rex liberalis deturbavit Th. animi ad prælia promtum, &c.

a) *Sköglar borð*, tabula Skögulæ (bellonæ), clypeus, ejus *skelfi-hríð*, percellens clypei procella (impetus), pugna, hujus *ský*, nubes pugnæ, scutum, ejus *bjóðr*, qui obfert clypeum, pugnator.

Rex, cum Thorkelem animadverteret, oculos in pallium conjicientem, locutus est: quid? cognate! an Cauda tua madefacta est? Thorkell irrideri se judicans, nihil respondebat, sed pallium majore cum indignatione abjecit. Rex locutus est: bono atque hilari sis animo, cognate! hoc enim ludicri & joci ergo feci, non ut contumelia afficerem te; qui vero rem tam egregiam adeo negligenter abjicis? Thorkell respondit: fuit sane probum pallium, nunc vero corruptum est et inutile, quod quidem me haud dolet, illud potius me dolet, si institutum meum tibi displicet. Rex: nulla de re mihi displices, Thorkell cognate! fieri quoque potest, ut pallium sine labe sit. Thorkell tum quammaxime lætatus est. Rex susceptum pallium composuit præ se, et aliquamdiu manibus pertractavit, tum Thorkeli tradidit; quo facto tam pannus, quam pelles siccæ erant, et pallium omnino æque bonum aut melius etiam quam fuit antequam immaduerat. Sic dicit Hallarsteinn:

Periculosus adversarius
multorum regnorum damnum attulit
tunicæ pretiosæ pugnatoris;
nec reparare damnum rex pepercit.
Sericum subsutæque canæ pelles,
momento temporis, in manibus regis
æque spectabiles sunt factæ
aut etiam speciosiores.*)

*) Ordo: *Mikill* [1]) *meingarðr* [2]) *margra jarða a) vann spell dýrðligri skikkju spjótrunns* [3]); *stillir sparðit* [4]) *skaðabótir* [5]). *Guðvefr* [6]) *ok grán* [7]) *skinn und hánum gjörðist síðan jöfri* [8]), *eina svipstund, jafn-sjónfagr eda fríðri.* Hanc strophem nesciunt C. S.

[1]) *miklu* Sk. nam *dýrðligri* pro comparativo accepisse videtur. [2]) *meingerður* Sk. qs. damnum inferens. [3]) *spjótrunn* F.

Thorkell Dydrill regem Olavum intima amicitia, cognationis necessitudine digna, coluit; cui rex pleraque, quæ rogare fas erat, tribuit, et quædam ejus fidei commisit, quæ aliis celata voluit. Thorkell sæpe in colloquium regis venit, et quæsivit, cur tam clanculum noctu in terram egrederetur; idem, cum duo una essent, magna usus est loquendi libertate, dicens, minus tutum esse et principis persona indignum, solum, incomitatum procul a navibus abscedere. Rex pauca ad hæc respondebat, dicens nihil nocituram.

De visione Thorkelis Caudæ.

Cap. 239. Thorkell, quamvis constitutus erat gubernator Gruis unacum fratre Josteine, tamen cum rege in Serpente assiduus fuit; et in interscalmio primate prope celsam puppim noctu cubuit. Accidit nocte quadam, ut Thorkell pedes sibi leniter contrectari sentiret; is manu secutus, animadvertit, adesse regem Olavum; quare cito et tacite vestibus se induit; rex manum ejus apprehendit, atque ambo ex navi per pontem egrediuntur. Cum in terram venissent, rex infit: si quantum simulas, scire gestis, qua de causa noctu solus in terram egre-

---

Sk. [4]) *sparðist* F.; *spurðist* Sk. [5]) *skaðabótar*, id. F. Sk. [6]) *Guðvefjar* Sk. [7]), sic A. F. Sk., o: id. q. *grönn*, tenues, vel id. q. *græn*, virides. [8]) *efri* F. Sk. superior pars tunicæ.

a) i. e. rex potens et bellicosus, a *meingarðr*, agger noxius, obstaculum; potest tamen etiam verti, averruncator malorum multarum terrarum, i. e. qui multis terris salutem parat, a *meingarðr*, agger, malis resistens, ratione habita christianismi per Olavum multis locis introducti.

disse se et audivisse, quæ modo relata sunt. Cujus relatio prudentibus viris verisimilis visa est, nam vir habitus est fide dignus et veritatis amans.

De visione Sigurdi episcopi.

Cap. 240. Dicitur rex Olavus, cum convivium aliquod obiret, postquam, audita missa, in cœnaculum se receperat suique omnes sedes suas occupaverant, ex suprema æde e conspectu ablatus subito fuisse, ut a nemine conspiceretur, certis omnibus, non ex cœnaculo egressum; deinde alter alterum quærere, ubi forte esset; quod expedire non potuit quisquam. Cum vero Sigurdus episcopus sermonem hominum animadverteret, infit: id quidem probe dicere possum ubi sit; eccum, in medio pavimento stat et cum eo colloquitur, quem videre non fas est, et ideo regem non videtis. Paulo post, qui intus erant, vident regem in solio sedentem, quare omnes persvasum habebant, cum dei angelo fuisse collocutum. Cujus eventi magna fuit apud omnes admiratio, nemo autem de eo loqui aut ex rege quærere, quo pacto accidisset, ausus est. Qua in re deus hominibus ostendere voluit meritum Olavi regis, quamvis latere cupientis, item bonitatem Sigurdi episcopi, qui, quod præsentium nemini præter regem scire datum est, conspicere aliisque referre potuit. Sic quoque traduntur quorundam sapientium hominum dicta, ubi longo post tempore sermo de rege Olavo instituebatur, visum ipsis esse, quibusdam in rebus posse merito dubitari, terrenusne tantum homo rex Olavus fuisset, an cœlestis nuntius, auxilio hominibus a deo missus.

Rögnvaldus satrapa nuptias cum Ingibjarga celebrat.

Cap. 241. Rex Olavus austrum versus Stadum cum copiis prætervectus est; quo in itinere comes ei aderat Regina Thyria, et Ingibjarga Tryggvii filia, soror regis Olavi. Plurimi tunc ad eum accessere amicorum, principum virorum, parati ad hanc expeditionem cum rege adeundam. Quorum princeps erat Erlingus Skjalgi filius, progener ejus, qui navem duxit celocem illam ingentem, triginta interscalmiorum, ab rebus omnibus optime paratam; tunc se etiam ei junxere sororum ejus mariti, Hyrningus ac Thorger, ex Vikia advenientes, suæ quisque navis ingentis duces. Multi alii eum comitabantur viri potentissimi. Totum exercitum austrum versus duxit, littora terræ legens. At postquam Rogalandiam accesserat, temporis nonnihil ibi traxit, splendido convivio affuturus, quod ei in Sola struxerat Erlingus Skjalgi filius. Tum de oriente Regem Olavum ex Gothia accessit satrapa Rögnvaldus Ulfi filius, negotium curaturus, de quo præterita hyeme ultro citroque verba atque nuntii erant missi, de conjugio, cum regis sorore Ingibjarga contrahendo. Venientem rex Olavus benigne excepit. Hinc de negotio isto cum tractari est cœptum, dixit rex, se suis hac de re promissis stare velle, eique Ingibjargam nuptum daturum, si ipse veram religionem acceptare et tenere, totumque populum, cui præfectus erat, christianum facere vellet. Hoc pollicitus satrapa, ipse baptizatus est omnesque ejus comites. Quo facto, conviviique quod struxerat Erlingus aucto apparatu, nuptias cum Ingibjarga Tryggvii filia eo in convivio satrapa celebravit. Omnes suas sorores rex Olavus

tunc nuptui collocaverat. Postea itineri se accinxit satrapa, domum cum Ingibjarga reversurus; cui rex Olavus sacerdotes adjunxit, qui incolas Gothiæ baptizarent veramque religionem docerent. Ita intimæ juncto amicitiæ fœdere, rex atque satrapa diversi discesserunt.

Iter Olavi regis in Vindlandiam; vaticinium senis Mostrici.

Cap. 242. Post nuptias sororis Ingibjargæ, rex Olavus iter qua maxima potuit celeritate e patria festinavit, suo cum exercitu, quem duxit et specie eximium et ingentem. Austrum versus cum Sunnhördalandiam præterveheretur, sexaginta navium longarum classem habuit, quam totam ad Mostriam appulit. In ea insula vir erat senex, tunc cæcus, admodum providus, et multis in rebus divinandi facultatem ostendere vulgo habitus. Cum vero (regii) naves in stationem deduxissent atque res suas composuissent, rex designavit, qui secum in insulam ascenderent. Hi ad domum senis accesserunt; quos ingressos, is, qui intus erat, interrogavit, quinam essent, quove cogitarent? Unus eorum respondet: mercatores summus ex continente delati, mercimonia nostra circumferentes. Senex: quid mihi de itinere regis Olavi aut classis ejus referre potestis? Dicunt regem Olavum cum tota classe ad insulam stare. Tum senex homo alte suspirans, anhelo ore dixit: eheu, eheu, magnum damnum faciemus in abitu regis nostri; etsane Norvegiæ populo magnum est infortunium, in una expeditione quatuor amittere res, sui generis hac in terra præstantissimas, quales antea nullæ in Norvegiam venerunt. Tum qui pro advenis verba fecit: quænam, inquit, sunt quatuor

istæ res, quas tam egregias judicas, ut neque nunc neque prius aliæ tales inveniantur? Cæcus ille vir ait: primum omnium nomino, quod omnibus perspicuum est, et de quo inter omnes sapientes viros constat, nullum extitisse regem, qualem Olavum Tryggvii filium; atque ideo magnum damnum est, talem amittere principem, quod nullus rex pari cum gloria totum populum rexit et adjuvit, ac rex Olavus. Secundam censeo reginam Thyriam, de qua omnes uno ore fateri audio, non parem illi feminam, tam prudentia quam bonitate, in Norvegiam venisse. Tertia est navis Olavi regis, Serpens longus, de quo omnium consensu perhibetur, talem navem in Norvegia non factam. Quartus est canis regis, Vigius, qui sua natura quovis alio cane hac in terra sagacior et melior est; metuendum vero est, ne nunc idem accidat, quod sæpe usu venire potest, ut subito amittantur, brevisque fructus percipiatur earum rerum, quæ aliis sui generis multo sunt præstantiores. Tum rex suos jussit ad naves regredi. Cum vero domo egressi ante fores substitissent, cæcus ille vir fatur: enimvero molestum est, senectutem et cæcitatem simul ferre, nam plerisque senibus idem accidere solet, ut non modo hebetetur visus, sed debilitetur etiam mens cum cæcitate corporis; nunc equidem non tam multa fuissem locutus, si novissem, id quod nunc scio, me cum ipso rege Olavo collocutum; jam vero semel dicta revocare non fas est; vero autem simillimum est, eos deliramentis meis parum fidem adhibituros, quamvis credere præstaret. Post hæc rex Olavus cum suis ad naves regressus est. Inde, cum primum secundus adspirabat ventus, cum tota classe austrum versus tendens Daniam per

Eyrasundum prætervectus est, in quo cursu in Vindlandiam pertendit, ubi statuto cum rege Burizlavo congrediendi loco, ambo reges convenere. Tum de possessionibus, quas petitum venit rex Olavus, colloquio habito, ad pacem mutuamque concordiam omnes regum sermones tendebant, ita ut possessionum, quas ibi postulabat rex Olavus, negotia redderentur expeditissima. Ibi per æstatem diutius commoratus rex, multos amicorum convenit; eo quoque ad eum venit Astrida, Burizlavi regis filia, conjux satrapæ Sigvaldii, regi Olavo amicissima, cum ob pristinam affinitatem, quod rex sororem ejus in matrimonio habuerat, tum ob gratiam, quam sibi rex olim, cum in ea terra versatus est, conciliaverat.

Eirikus satrapa cum Sveine Danorum rege affinitatem jungit.

Cap. 243. Eirikus satrapa, Hakoni filius, post cædem Hakoni satrapæ, patris sui, ex Norvegia profugit, ut ante memoratum est. Primo Eirikus satrapa orientem versus in Svethiam abiit ad Olavum Svecum Svionum regem, a quo bene acceptus, pace amplisque commodis donatus est, ut se suosque in ea regione commode posset alere; qua de re ita Thordus Kolbeinis in carmine Belgskagadrapa [1]):

Nocentium fugator maleficûm [2]).

Satrapa Eirikus hiemem in Svethia traduxit; hac hieme ingens hominum turba, metu regis Olavi Tryggvii filii patriam relinquens, ad eum con-

---

[1]) *Belgskakadr.*, C. quod carmen idem est cum *Eirîksdrápa*, teste Vita Björnis Hitdalensium athletæ, cap. 3: „*drápa sú, er hann* (Þórðr Kolbeinsson) *orti um Eirîk jarl, heitir Belgskaðrápa.*" [2]) vide supra cap. 105 fin.

fugit, unde Eirikus id consilii cepit, ut navibus comparatis, proxima æstate in piraticam exiret, sibi suisque opes quæsiturus. Primum cum copiis Gotlandiam advectus, diu ibi per æstatem commoratus est, occasionem captans mercatores opprimendi, qui terram accedebant, aut piratas; interdum facta in terram escensione, oras maritimas late populabatur. Cujus rei ita meminit Bandadrapa:

Satrapes deinde clarus
alia multo plura prælia
commisit; id nuper accepimus.
(Ericus sub se, gladiorum —)
cum piratarum tempestatem
navalem committeret in
Gothlandia late depopulata,
(—procellæ largus, et committit pugnam)*)

Postea Eirikus satrapa austrum versus Vindlandiam advectus, quas juxta Staurium offendit pi-

---

*) Ordo: *meirr*[1]) *jöfur*[2]) *vann síðan aðra miklu fleiri málmhríð*[3]); *áðr frágum þat. Eiríkr und sik, geira a). þú er gerði vala garð: virvils strandar vala b) of víðt herjat Gotland. veðr mildr, ok semr*[4]) *hildi.* Abest in F. S.

[1]) Hkr. OTr, c. 96. *mærr*, clarus. [2]) Hkr. *jöfra* ɔ: *vann aðra miklu fleiri jöfra* (i) *málmhríð*, vicit alios multo plures reges in pugna. [3]) sic B. Sk. Hkr.; *málmhríðir* A, quod cum ceteris non cohæret, nisi *aðra* mutes in *aðrar*. [4]) *sæmr* scribit C.

a) In quarto & octavo versu hujus & sequentis strophæ continetur strophæ intercalaris pars, secundum Eddam Sn. p. 176, sic ordinanda: *Dregr land, at mun banda, Eiríkr und sik, geira — veðr milðr, ok semr hildi, gunnblíðr; ok rèð síðan (jarl goð vörðu) hjarli*, ɔ: terram, sic dii voluere, subjicit sibi Erikus bellicosus, et conserit pugnam lætus in præliis, et deinceps rexit terram; dii Satrapam tuebantur. Ex qua stropha intercalari carmen videtur nomen

ratarum naves aliquot prælio adortus est, in quo prælio satrapa Eirikus victoriam reportavit, multis adversariorum interfectis. Ita in hanc rem Bandadrapa:

Magnarum rerum gestor juxta Staurium
quiescere fecit rostra navium;
sic princeps perdidit viros.
(In pugna lætus et regebat deinceps)
Mergus vulnerum dilaniabat
prædonum capita in arena,
inter acrem gladiorum conflictum.
(terram; dii Satrapam tuebantur.)*)

Eadem æstate Eirikus satrapa in Daniam profectus, Sveinem Barbæ furcatæ, Danorum re-

---

Bandadrápa, deorum carmen, quod præsentem deorum tutelam celebravit, sortitum fuisse. *b*) *vala garðr*, procella piratæ, pugna, a *Vali* id. q. *Ali*, pirata, vel a *välr*, accipiter, it. miles. *Virvils strönd*, terra piratæ, mare, ejus *valr*, accipiter maris, navis; itaque circumscriptio pugnæ navalis.

*) Ordo: *Stærir* [1]) *a*) *lèt stafn-vigge* [2]) *höfuð* [3]) *liggja at Stauri; gramr vælti b*) *svá gumna. Gunnblíðr, ok rèð síðan c*). *Únda márr* [4]) *sleit svörð víkinga* [5]) *á eyri d*), *at* [6]) *hörðu* [7]) *sverða mótl.* [8]) *hjarli; goð vörðu jarl.* Nesciunt hanc stropham F. 8.

[1]) Hkr. in var. l. *stýrir*, dux. [2]) *vige* C. Sk., puncto supra *g* neglecto; *vigg*, ɔ: navem, Hkr. [3]) *í höfn*, in portu, Hkr. [4]) *már*, id. Sk. [5]) *víkingar* C. perp. [6]) *á*, Sk. [7]) *harðr*, durus (ɔ: corvus), C. *jördu*, Sk. ɔ: *svörð-jörðu* pro *svarðar-jördu*, caput. [8]) *fyrir*, ante (promontorium), Hkr.

a) *Stærir*, qui magnum facit, h. l. abs. qui res magnas gerit, usu paullo insolentiore. *b*) *væla* id. q. *věla*, in perdendi notione occurrit, ni fallor, Clav. metr. 40. 62. forte & Rad. 65. Usitatior significatio, dolo eos circumvenit, etiam haud aliena est. *c*) de his versibus vide not. *a*. ad stropham proxime antecedentem. *d*) *eyri*, lingula, intelligo h. l. in genere de campo prælii, quod talem situm locorum ad certamina singularia veteres delegerunt.

gem, convenit, cujus filiam Gydam sibi petiit conjugem; qua re pacta, Eirikus satrapa Gydam uxorem duxit. Hieme proxime sequenti elapsa, natus est illis filius, Hakon dictus. Eirikus satrapa, cum Gydam uxorem duxisset, unamque æstatem in piratica transegerat, autumno retro in Svethiam navibus vectus, ibi secundam peregit hiemem. Proximo autem vere, copiis paratis, in mare Balticum navigavit, ubi quam primum regis Valdamaris regnum accessit, populationibus, hominum cæde atque incendiis omnia loca fœdare cœpit, terram hoc pacto ad solitudinem redigens. Ad Aldeigjuburgum appulsus, urbem illam obsidione cinxit, donec caperetur, captamque, cæsa magna incolarum parte, destruxit et totam incendio delevit; quo facto per Gardarikiam arma late circumtulit. Qua de re ita in Bandadrapa:

Splendere qui facit flammam maris,
deinde Valdamaris regiones
ivit vastatum igne prælii;
hinc impetus pugnæ gliscebat.
Terror virorum, diruisti Aldegiam;
id acre prælium fuit. Rerum
nos argumenta novimus; cum viris
adiisti Gardos versus orientem.*)

*) Ordo: *Féganði* [1]) *lægis log* a) *fór síðan eyða Valdamars land oddhríðar brandi* b); *kríð óx af því* [2]). *Ægir gumna* [3]), *þú brautst Aldegju: sú hildr var hörð* [4]). *Oss numnast* [5]) *skil: komt austr í Garða með höldum.* Abest hæc stropha in F. S.

[1]) *fándi* pro *fúandi*, accipiens, B. [2]) *at þat*, postea, vel ob id, Hkr.; *auði* C. ingratum auribus. [3]) *gunna*, id. Hkr. [4]) *harð er*, dura, quando, C. [5]) *nunnast*, id. Hkr.

a) i. e. qui facit aurum temperato usu splendere, ut Horatius ait, vir liberalis, h. l. Satrapes. b) i. e. ense.

Eirikus satrapa in hisce expeditionibus bellicis quinque simul transegit æstates, hiemes vero in Dania apud regem Sveinem Barbæ-furcatæ traduxit, interdum etiam in Svethia commoratus est. Sveinn, Danorum rex, conjugem habuerat Gunnhildam, filiam Burizlavi Vindorum regis; qua mortua, uxorem duxit reginam Sigridam imperiosam, matrem Olavi, Svionum regis, ut supra memoratum est. Qua affinitate tam inter reges, quam inter hos et Eirikum satrapam, intima juncta est amicitia.

Incitamenta Sigridæ imperiosæ.

Cap. 244. Regina Sigrida animo maxime infesto erat in Olavum regem Tryggvii filium, causata, ruptum ab Olavo rege, quod cum ea junxerat, matrimonii fœdus, percussamque sibi ab eo faciem; quare semper animo agitabat, si qua eam contumeliam dolis ulcisci posset, quam ob causam plurimos dies sollicito tristique animo fuit. Magnopere Sveinem regem hortata est, ut cum rege Olavo Tryggvii prælio decertaret, quibus adhortationibus ille diu parum movebatur. Vere autem, cum fama in Daniam esset perlata, Olavum regem copias evocasse, et profectionem in Vindlandiam decrevisse, accidit die quodam, ut rex Sveinn, ingressus in cubiculum ad reginam Sigridam, eam tristi esse animo videret. Interroganti „satinsalvæ," illa respondet: affert mihi dolorem, cujus me nunquam non pœnitebit, quod regi nupsi, qui injuriam meam ab rege Olavo Tryggvii filio ulcisci timet, etsi haud exspectare par sit, contumeliæ mihi illatæ vindicem fore te, qui procul absis ab eo, ut illatam tibi ipsi ulciscaris contumeliam. Sveinn rex respondet: quænam quæso est magna illa contumelia, qua me affe-

cisse Olavum ais? Regina respondet: ea in re magna te affecit contumelia, quod Thyriam, sororem tuam pro concubina abduxit et cum ea concubuit, neque te tanti fecit, ut ejus elocandæ arbitrum te agnosceret. Sveinn ad hæc: quid quæso contumeliæ fuit, quod rex Olavus sororem meam duxit, qui tam eximius sit princeps, ut cui melius elocarem, non haberem, etsi eam rem meo arbitrio confecissem? Sigrida fatur: consentio, Olavum Tryggvii filium multis in rebus plerosque reges in regnis septentrionalibus antecellere, atque etiam hoc, sororem tuam omni nomine perbene locatam esse, quæ ei nupserit; verum haud parvo dedecori tibi est, qui tanti nominis rex tibi videaris, quod tecum invito contraxit affinitatem, et ea in re ostendit, quod nullius te faceret, qui sine tua venia et insciente [1]) te sororem tuam ductum iverit; ea autem multo major ignominia est, quod provincias tuas tributarias, quæ jure tuum sunt patrimonium, ingratiis tuis insedit, Norvegiæque regnum tenet immune tributorum et vectigalium; atqui profecto majores tui tot tantaque non æquo animo tulissent, tu vero scire te dissimulas, ulla te affectum contumelia. Rex respondet: tales mihi injurias ferendas existimo, quia rex Olavus, cum ipsius athletis, in præliis et fortitudine bellica tam expertus est, ut nunquam victoriam non reportaverit, etsi cum impari numero dimicandum fuerit; quem itaque, gratia optimatum totiusque populi Norvegici fultum, ut in regno ipsius bello persequar, neque vires suppetunt, neque animus. Regina respondet: consentio, Olavum Tryggvii filium multis in

[1]) *jáyrði*, non consentiente, B.

rebus regum septentrionalium facile principem esse, tu autem, nisi honorem tuum ab aliis principibus vindicaveris, nullius pretii rex et degener habeberis; nam si majoribus tuis similis esse velles, nullo modo talem injuriam aequo ferres animo. Nunc consilium tibi suggeram, ut neque necessum habeas regem Olavum domi bello petere, neque copiæ adversus eum desint, modo ne desit animus. Quæ cum Sigrida sæpius in ore haberet, id tandem persvadendo effecit, ut rex Sveinn infensissimo in regem Olavum animo esset, et Sigridam reginam consuleret, qua ratione Olavo Tryggvii filio potiretur, ita ut exercitum in Norvegiam non traduceret. Sigrida respondet: res factu erit facilis; audivi enim, regem Olavum haud magnam ex Norvegia classem parare, hac æstate austrum versus in Vindlandiam trajecturum; nos autem, misso nuntio, ab Olavo rege Svionum, filio meo, et Eiriko satrapa Hakonis filio, genero tuo, auxilia petamus; quorum opes si in partes tuas traxeris (quippe quos spero promtissime tibi opem laturos), tu mihi homo nihili videris, si Olavum Tryggvii filium per regnum tuum tam austrum versus quam ab austro classe vehi pateris, sic ut illum aggressus non interficias aut regno expellas, ob tanta crimina, quæ ab illo vindicanda habes. Sin vero vos tres principes, cum toto Danorum et Svionum exercitu copiisque Eiriki satrapæ, minus tutos adversus illum vos creditis, missis austrum versus in Vindlandiam nuntiis, Sigvaldium satrapam arcessito, quem ob justa crimina exilio damnavisti; hic gratiam tecum, possessiones suas et liberam in Dania manendi potestatem eo pacto reconciliato, ut Olavum Tryggvii filium conveniat, eumque dolis cir-

cumventum aut exercitu exuat, aut inopinantem vestræ potestati tradat; quo facto res erit parvi moliminis, si exiguas habebit copias contra vestrum exercitum, eum vita privare. Rex Sveinn et regina, cum de his rebus deliberaverant, hanc rationem firmiter destinaverunt.

Rex Olavus iter in Norvegiam ex Vindlandia parat.

Cap. 245. Haud ita post multo rex Sveinn nuntios orientem versus in Svethiam misit ad regem Olavum, privignum suum, et Eirikum satrapam, nuntiatum, Olavum Norvegiæ regem expeditionem imperasse, eumque hac æstate austrum versus in Vindlandiam navigaturum; additis mandatis, ut Olavus Svionum rex et Satrapa proxima æstate copias cogerent, et Sveinem regem convenirent, tum omnes una prælium adversus Olavum regem Norvegiæ committerent. Huic expeditioni rex Svionum et Eirikus satrapa animo mox parati et promti, ex toto Svionum imperio magnum exercitum classemque contrahunt, quam austrum versus in Daniam ducunt, ibi appellentes, quo tempore Olavus Tryggvii filius jam orientem versus navigaverat. Hujus rei meminit Haldor ille non-christianus in carmine, quod de Eiriko satrapa fecit, eum nempe copias ex Svethia coegisse, magnumque militum numerum comparasse:

Depulsor regulorum, in ensium
procella animosus, evocavit
multas e Svethia copias; ad pugnam
princeps contendit austrum versus.
Virorum quisque, carnivoras alites
curare gnarus, cupiit Eirikum sequi;

adeptus est potum mari
mergus, vulnera rimans.*)

Olavus Svionum rex et Eirikus satrapa Sveinem Danorum regem convenerunt; quibus conjunctis, numerosissimæ copiæ effectæ sunt. Rex Sveinn, prout regina Sigrida svaserat, Sigvaldium satrapam, filium Strutharaldi satrapæ de Skania, arcessiverat eumque in gratiam receperat. Quem rex Sveinn insequenti æstate in Vindlandiam misit, ut iter regis Olavi Tryggvii filii specularetur, remque dolis eo deduceret, ut armis congrederentur rex Olavus et rex Sveinn. Iter ingressus Sigvaldius satrapa, in Vindlandiam pervenit, ubi primum Jomsburgum, postea Olavum Tryggvii filium petiit; quem speciosis dictis verbisque amicissimis adeo cepit, ut in summam regis gratiam et familiaritatem veniret. Fuit Sigvaldius satrapa vir prudens, consiliique plenus; qui consiliorum regis particeps factus, reditum ejus de Oriente plurimum tardavit, res varias causatus; milites autem Olavi regis, moræ impatientissimi, reditum in patriam votis omni-

---

*) Ordo: *Gunnbliks elmóðr* [1]) *jöfra hneitir bauð út miklu liði af Svíþjóðu; gramr hèlt sunnr* [2]) *til gunnar. Hvarr* [3]) *halda* [4]) *hrægeitúnga feitirr* [5]), *vildi þá fylgja Eiriki; súra márr fékk sylg á sjá.* Hanc strophan nescit S.

[1]) *álmrjóðr*, qui arcum sangvine rubefacit, C. vel junctum cum *gunnbliks*, pro *bliks-gunn-álmrjóðr*, qui fulgidum bellonæ almum (gladium) tingit. [2]) *sunds*, maris, F. Sk. o: *til sunds gunnar*, ad prælium maritimum committendum. [3]) *herja*, virorum, F. Sk. [4]) *hölda*, id. B. C. Hkr.; *hauldr* (rect. *havldr*), vir, Sk. Nota formam *haldr* id. q. *höldr*, qs. qui tenet, possessor fundi, quem incolit. [5]) *feita*, in gen. pl. Sk.; *feitra* F. o: *hvarr hölda feitra hræg*, sic *höldr feitra hræg*, vir, qui pingves alites bene curat. *reitir*, qui delectat, B.

bus optabant, quippe qui ibi diu parati hæsissent, ventique secundi adspiraturi viderentur. Jam Sigvaldio satrapæ ex Dania clanculum affertur nuntius, ex oriente venisse exercitum Olavi Svionum regis et Eiriki satrapæ, Danorum regis paratas quoque esse copias, Vindlandiæ littora cum classe accessuros istos principes, convenisse inter eos, ut ibi ad insulam, Svöldram dictam, venientem exspectare vellent regem Olavum Tryggvii filium; id quoque Sigvaldio satrapæ præceperunt, ut curaret, ut ibi Olavum regem offendere possent. Tum ad Vindlandiam vagus rumor allatus est, Sveinem Danorum regem exercitum expeditioni paratum habere, moxque increbuit fama, Sveinem regem armis cum Olavo Norvegiæ rege congredi velle. Quæ cum audiret*) Sigvaldius satrapa, regi Olavo dixit: rumor iste vagus, qui ad aures tuas pervenit, omnino falsus est, non enim Sveini regi in animo est, cum solo Danorum exercitu te aggredi, tantis tamque insignibus copiis paratum; si qua vero te suspicio tenet insidiarum, quæ tibi proficiscenti struantur, me tibi comitem adjungam cum copiis meis, atque priscis utique temporibus haud parum roboris accedere visum est, sicubi piratæ Jomenses principibus se adjunxerunt; decem tibi naves tradam, a viris armisque bene instructas. Accepit conditionem rex. Cum vero classiarii famam exorti belli accepissent, hoc magis fremere, quod tæduit eos, diutius ibi paratos frustra morari. Quo cognito, rex Olavus die quodam militum concione convocata, surgens ita verba fecit: omnibus meis militibus gratias agere volo pro comitatu & auxilio,

*) *viss* certior fieret, B. *varr*, animadverteret, C.

quod mihi hac æstate præstitistis, excusatos vos habens *), quod vobis videamini nimium diu domo ab rebus vestris abfuisse; nunc enim unicuique vestrum, prout quisque primum paratam habebit navem suam, revertendi domum veniam concedo, iis tamen majores habiturus relaturusque gratias, qui non majore festinatione iter properant, quam ut me in Norvegiam comitentur. Quæ cum vulgus audivisset, oppido lætari regique pro dictis suis gratias agere. Tum vir quidam potens, ætate provectus, ex classiariis regiis, surgens ita locutus est: eum habemus præfectum nobis regem, qui viribus & artium peritia, magis tamen clementia et omnimoda naturali benevolentia alios reges longo post se intervallo relinquit; cujus etsi clemens benevolentia veniam nobis pro lubitu redeundi concedat, tamen decet nos hac potestate ita uti, ut fidum ei comitatum præstemus, neque eum deseramus, dum extra regnum suum est, præsertim cum fama ad aures nostras advolaverit, ei insidias occultas ab inimicis parari. Summa nostra laus est, illi tanto fortius adesse, si forte fuerit opus, quanto præstantiorem habemus principem, quam militum alii quiquam; quod in mentem nobis veniet, si accidet, quod absit, ut absentes eum amittamus; id quod perpetuum nobis dolorem et damnum irreparabile pariet, si tam infauste res cadet. Cujus orationem paucis assensu probantibus, digrediuntur milites **), rex classem solvi atque itineri signum tuba dari jussit, quo facto classiarii vela ventis dedere. Rex Olavus sexaginta naves duxit, Sigvaldius vero satrapa

*) *várkunna*, id. forma usitatiore, B. C. **) ad naves, add. B. rex omnesque milites ad naves abiere, C.

undecim, cum ex portu solverent. Memorat Haldor non-christianus, utrosque simul naves duxisse septuaginta et insuper unam, quando ab Vindlandia navigarunt. Ille sic canit:

Cum septies decem navibus
et una rex profectus est ab austro;
præstans columen ensium tingebat
gladios in prælio navali.
Dissuta gentis est virorum
concordia, cum satrapes poposcerat
Skanienses ad conventum, quo
congrederentur naves mari.*)

[*Astrida Olavo regi structas ei insidias aperit.*]

Cap. 246. Fertur Astrida, uxor Sigvaldii satrapæ, filia regis Burizlavi, ad regem Olavum venisse proxima nocte, antequam ex Vindlandia navigaret, de qua re inferius plura dicentur. Astrida regi claris argumentis indicavit, regem Danorum et regem Svionum et

---

*) Ordo: *Konúngr fór sunnan sjav tighum skeiða ok* [1]) *einu* [2]) (o: skipi); *mætr ona* [3]) *a*) *meiðr rauð sverð at unnviggs morði. Sætt seggja ættar gekk sundr, þá er jarl hafði of kraſða Skánúnga lagar fundar hún-hreina b*). Abest in S. F. Sk. [1]) *at* B., i. e. tantum septuaginta navibus. [2]) *einum*, var. l. Hkr., quam secutus est J. Olavius in Arte poet. Veter. Boreal., mutato *unnviggs* in. *unnvigg*. [3]) var. l. Hkr. *onar*, in sing. In B. ambiguum est *Ona* an *Sua*. In C. vitio librarii excidit „*ok einu*" et proxime sequentes tres versus, nam legit: *Ona fór þá er lúnlagar hreina.*

a) *onn*, inter gladii nomina recenset Edda, vel ut quidam volunt, inter partes gladii; cetera mihi vox ignota; hinc *ona meiðr*, pugnator, h. l. rex bellicosus. *b*) *lagar-fundr*, conventus maritimus *húnhreina* (maclidum apicibus instructarum, o: navium), i. e. prælium navium maritimum; regitur autem genitivus a præced. partic. *kraſða*.

Eirikum satrapam insidias ei collocasse cum invicto exercitu, magna benevolentia regem orans, ne in insidias hostium suorum se præcipitaret. Rex vero reposuit: haudquaquam differam profectionem meam ob tales rumores, quos nesciam an veri sint; nam amicus meus Sigvaldius certiorem faciet me, si quas mihi paratas noverit insidias. Enimvero, quamvis vera esse quæ dicis perspectum haberem, tamen congressum cum inimicis meis non forem devitaturus, nam penes deum est, regnum dare cuicunque voluerit. Tum Astrida: itaque oratum te volo, ut quod ferre potero auxilium evadendi, si forte opus tibi fuerit, accipere non dedigneris. Accipiam, ait rex, si postulabit necessitas. Quibus dictis digressi sunt*).

(*Rex Olavus ex Vindlandia navigat.*)

Cap. 247. Quo die rex Olavus classem ex portu solvit, exiguus**) spirabat ventus, secundus tamen, cum naves longius a terra processissent; naves autem minores celeriore cursu in altum delatæ ventos secundos præceperunt. Satrapa vero Sigvaldius, qui prope regiam navem vehebatur, regios inclamans, se sequi jussit ducem: nota mihi sunt loca, inquit, ubi inter insulas perque freta profundius patet mare, quod vobis, qui majoribus navibus vehimini, necessarium est. Ita satrapa cum suis navibus præibat, rex cum majoribus navibus subsequebatur. Sigvaldio autem satrapæ insulam Svöldram accedente obvii venerunt homines, nave cursoria vecti, nuntiantes, exercitum regis Danorum et regis Svionum ibi in portu præjacente stare. Quare satrapa vela

*) postea non invicem visi, add. B. **) perquam placidus, B.

navium contrahi jussit, easque remis ad insulam lente propelli. Satrapa decem duxit naves, quas Olavo regi subsidio promiserat, si opus esset; undecima autem erat navis Vendica, qua vecti dicuntur milites Astridæ, regis filiæ, quæ navis longiore flexu haud procul a navi satrapæ ferebatur. Rex Olavus cum majoribus navibus ab austro vehebatur, quarum tum undecim habebat, ceteris omnibus in altum prælapsis. Qua de re ita Hallarsteinn:

Sagittæ rubefactor ausus est
octo et tres naves bellicas,
ultima vice, vento ferente secundo,
ad ostium Svöldræ applicare.
Longus Serpens per campum piscium
lapsus est; remos aulici torquebant;
decorus princeps clavum regebat.
Is regum potentissimus est.*)

Dani & Svíones mirantur navium Norvegicarum magnitudinem.

Cap. 248. Sveinn Danorum rex, Olavus Svionum rex et Eirikus satrapa cum toto suo exercitu ad insulam stabant, ut supra dictum est, cœlo tunc temporis sudo et sole splendente sereno; quare in insulam omnes escendunt principes, magna militum turba comitati. Qui cum viderent naves Norvegorum magna turba in altum provehi, admodum lætati sunt; nam milites murmurabant, quod ibi tam diu frustra

*) Ordo: *Avrrjóðr þorði beita útta ok þrinnum skeiðum efsta sinn at Svöldrar mynni; brýnn* 1) *byrr varð. Ormr hinn lángi skreið ölna vángh* 2); *hirð knúði árar; prúðr* 3) *hilmir stýrði. Hann er ríkstr konúngmanna.* Abest in S.

1) *brýnt*, celeriter, F. Sk. jungendum cum *beita*. 2) *menn* F. *en* Sk., sine commodo sensu. 3) *prúð* B. C. quod refer ad *hirð*.

hæsissent, ut quidam jam desperaverint, regem Norvegicum illis obviam iturum. Jamque vident navem eximiæ magnitudinis & splendoris navigantem; qua visa, ambo reges dicunt: isthæc magna navis est, atque eximiæ pulcritudinis; hic Serpens longus est. Satrapa Eirikus respondet: non hunc esse longum Serpentem credo; majori enim et magnificentiore specie præbiturum se credo Serpentem; hæc tamen magna navis et pulcra est. Res erat, ut dixerat Satrapa; navis ista erat Styrkari de Gimsis. Post paulo vident aliam navem ferri, multo majorem et capite ornatam; tum rex Sveinn: hic credo labitur Serpens Longus; agite, naves nostras petamus, ne in occursum illis nimium tardemus. Respondet Eirikus satrapa: non hic, credo, Serpens longus est; tamen hæc navis bene ornata est. Verum quoque fuit, quod dixerat; navis ista erat Thorkelis Nefjæ (Nasonis), fratris Olavi regis, qua quidem ipse non vehebatur. Jamque vident magnam et pulcram navem navigantem: tum rex Sveinn: ecce nunc navis regia! Satrapa respondet: hæc sane magna navis et splendida est, multo tamen Serpens longus eximius magis est. Mox quarta navis ingentis magnitudinis subsequitur; quas duas naves ducebant Thorgeirr & Hyrningus, progeneri regis, ex Vikia; ipsi autem naves non gubernabant, nam ambo in Serpente longo fuerunt cum rege Olavo. Brevi temporis mora interjecta, quintam vident navem, ceteris quæ prænavigarant multo majorem; tum rex Sveinn ridens: jam, inquit, metuit Olavus Tryggvii filius, qui non audeat capita præferre, draconis sui insignia. Eirikus satrapa respondet: non hæc regia navis est; hanc probe novi, atque velum navis, quippe

alternis coloribus variegatum; hac navi vehitur Erlingus Skjalgi filius de Jadare; navigent isti; verum enim vobis dico, hac nave eos ferri viros, ut, si cum Olavo Tryggvii filio congredimur, melius nobis sit, navem adeo instructam in classe regia desiderari, quam ibi adesse; puto enim ipsum Erlingum celoci præesse. Tum Olavus, Svionum rex: cavendum, ne nimium extimescamus, prælio congredi cum Olavo Tryggvii filio, etsi magnam habeat navem; ea enim irreparabilis ignominia est, si hic cum invicto exercitu desidemus, illo extra insulam per publicos marium tractus navigante. Eirikus satrapa respondet: sinamus, domine! hanc navem, ut priores, in altum ferri; nam læta tibi atque vera refero, Olavum regem nondum esse prætervectum, cum quo sane confligendi facultas vobis hoc die dabitur; atque vero similius judico, quamvis nostrum quisque trium, qui hujus exercitus principes vocamur, numerosas copias huc contraxerimus, fore, ut, antequam hic exeat dies, is in nos impetus fiat, qui nos satis occupatos teneat, licet naves istæ, quæ jam præterlatæ sunt, prælio non adsint. Rem conjectura assecutus est Eirikus, nam ibi Erlingus celoce sua vectus, Olavum regem, affinem suum deseruit, ut illum nunquam postea conspiceret, multique item alii fortes viri amicique regis. Brevi vero interjecto tempore, postquam hæ quinque magnæ naves præternavigaverant et ante has tota classis minorum navigiorum, vident noscuntque navem Sigvaldii satrapæ, quæ illuc ad insulam deflectebat; deinde tres *) naves ferri conspexerunt, quarum una fuit ingens, capite instructa. Hæc

*) quatuor, F.

rex Sveinn: jam homines ad naves festinent, hic enim nunc procedit Serpens Longus. Eirikus satrapa excepit: multæ sunt illis aliæ magnæ et splendidæ naves, præter Serpentem Longum, quarum paucæ adhuc prætervectæ sunt; quare paulisper nobis manendum est. Tum multi homines dixere: nunc apparet, inquiunt, nolle Eirikum cum Olavo Tryggvii filio confligere, neque necem patris sui ulcisci audere; quæ tanta ignominia est, ut fama toto orbe celebratum iri crediderimus, si hic tantis cum copiis desidemus, dum Norvegiæ rex, exiguo hominum manipulo, si cum nostro exercitu comparatur *), stipatus, nos prætervectus in altum pertendit. Quibus dictis Eirikus satrapa ira valde commotus, universos ad naves ire jussit: verum putaverim, inquit, quamvis vos Dani & Sveci animi imbecillitatem exprobratis mihi, fore, antequam sol hoc vespere in mare occidat, ut vos utrosque non minus capiat pugnandi tædium, quam me meosque commilitones**). Descendentes in littus quatuor conspiciunt naves ingentes, quarum una fuit draco ingens †), auro ornatus. Tum multi dixerunt, satrapam vera locutum, nam heic fertur Serpens Longus, inquiunt, navis utique mirificæ magnitudinis et pulcritudinis, atque credibile est, nullam navem longam, huic pulcritudine et magnitudine parem, in Septemtrione factam esse, neque mirum, late fama celebrari regem, cujus tanta fuit magnificentia, ut res tam pretiosas faciendas curaverit.

*) *við her vorn at jafna] um her vârn*, exercitum nostrum (prætervectus) B. **) neque vos victoriam de Olavo Tryggvii filio reportabitis, si ei cum solis vobis res erit, add. B. †) multo (auro), B.

Tum rex Sveinn surgens fatus est: hac vespera excelsum me vehet Serpens, ductoremque sentiet. Cui Eirikus satrapa: si vel rex Olavus navem non majorem haberet, quam hanc, quam nunc videmus, eam tamen illi rex Sveinn cum solo Danorum exercitu nunquam foret extorsurus. Naves autem istæ ingentes, capitibus instructæ, quas pro Serpente longo habuerant, fuere, prior quidem Grus, posterior Serpens brevis. Nunc universi ad naves confluere, tentoriaque navalia raptim deponere, principes exercitum ad prælium instruere; dicuntur sortibus jactis constituisse, qui eorum primus ipsam navem regiam, Serpentem Longum, aggrederetur, primamque sortem exiisse Sveinis Danorum regis, secundam Olavi Svionum regis, postremam Eiriki Satrapæ, si opus esset ejus opera; singuli eorum, quas suo quisque cum exercitu vinceret et propugnatoribus denudaret, navibus regis Olavi potirentur. Dum vero principes hæc, quæ dicta sunt, inter se colloquebantur, tres naves vident eximiæ magnitudinis, quartamque postremam, in cujus prora ingens draconis caput exstare omnes conspicati sunt, tam splendide ornatum ac si solido auro constaret, cujus fulgore mare late coruscabat, sole resplendente; quam homines conspicati, demirabantur navis longitudinem, nam aliquantum temporis interjectum est, postquam proram conspexerant, donec puppis in conspectum prodiret; tum cognovere omnes, neque negabat quisquam, hunc esse Serpentem Longum. Quo viso, obmutuere multi, vulgo autem jam tum metus & pavor pectora occupavit; quod utique non mirum fuit, nam ingens illa navis magno hominum numero mortem af-

ferebat. Tum Eirikus satrapa: eximia hæc navis decora atque digna est tali rege, qualis est Olavus Tryggvii filius, de quo vere prædicatur, eum tantum aliis regibus antecellere, quantum Serpens Longus aliis navibus præstet.

Pugna Svöldrica.

Cap. 249. Cum Sigvaldius Satrapa ac sui vela demiserant et naves ad insulam remis propellebant, Thorkell Dydrill ductor Gruis, aliique navium rectores, qui eum sequebantur, cum viderent satrapam naves suas ad insulam deflectere, ipsi quoque, demissis velis, eum remigio subsecuti sunt. Thorkell Sigvaldium satrapam inclamans, quærit, cur non vela daret? Satrapa ostendit, se adventum regis exspectare velle: vero enim simile est, inquit, nos ab hostibus circumventos esse. Navium igitur cursum sistunt, donec Thorkell Nefja cum Serpente brevi adesset, et quatuor eum comitatæ naves, quibus cum eadem res est relata, etiam illi, velis contractis, navium cursum inhibent, adventum Olavi regis exspectantes. Classis autem regum (adversariorum) in interiore portu stabat, quare conspici non potuit, quantus esset hostium exercitus. Cum autem rex Olavus ex interiore sinu*) ad insulam navigaret, videns suos demissis velis adventum suum exspectare, navem a latere, qua spirabat ventus, direxit, eosque interrogavit, curni navigarent; illi indicant regi, hostilem exercitum illis insidiari, rogantes, ut fuga saluti consuleret. Quæ cum afferrent, rex surgens celsa in puppi, suis loquitur: velum quam citissime demittite, alii remos ab lateribus ex-

*) ab austro, B.

tendant, cursumque navis inhibeant; lubens confligere malo potius quam fugere; hucusque nunquam in prælio terga dedi, deus vitæ meæ consulat, nunquam vero fugam capessam, is enim non justus est rex, qui præ timore ab hostibus fugit. Hujus rei meminit Hallfredus:

Præclarus fugientium stator
prior nunquam cedere solitus est;
potius animi fortitudo fuit
accepta defensori militum.*)

Regis imperio mox obtemperatum; Serpens ceteras naves præterlapsus est**), alias autem naves classiarii remis propulere. Tum quoque ab insula totus regum exercitus classem remis prodigebat, quorum principes magno affecti sunt gaudio, cum viderent Olavum regem insidiis suis circumventum. Cum vero rex Olavus Tryggvii filius suique omnes mare propinquum viderent adversariorum bellicis navibus passim tectum, regem allocutus est Thorkell Dydrill, vir sapiens et fortis, avunculus ejus: domine! inquit, tantæ hostium multitudini impares sumus, quare vela in altum dantes ceteram classem cursu persequamur; quæ res bene succedet, dum inimici nostri prælio se apparant; nemini enim ignaviæ vertendum, quod sibi suoque exercitui consulat. Rex Ola-

*) Ordo: *Frægr flugþverrir* [1]) *a) nam aldregi vægja furri; heldr lèt hauka skyldir* [2]) *b) hugrekki sèr þekka.* Abest in C. S.

[1]) *fylg fyra*, sine sensu, Sk. [2]) *beitir*, (accipitres) venatum emittens, Sk.

a) verti quoque potest, fugere nescius. *b)* *skyldir* (vel forte rectius *skildir*, a *skjöldr*), qui clypeo munit, tegit; tum *haukar* de militibus, ut alias sæpius.

**) *framhjá*] *framfrá*, ante ceteras elapsus est, B.

vus alta voce respondit: conjungite naves, et vos prælio parate, gladiosque educite, nostri milites de fuga ne cogitent. Hanc rem memorat Hallfredus Difficilis-poeta:

Oportet memorare dictum,
quod regem virtute cluentem
protulisse ferunt in armorum rixa
viris cum hoste certantibus.
Exactor militaris fidei
suos juvenes vetuit fugam
meditari; vivunt dicta fortiter
principis, populo amici.*)

Rex Olavus, signo tuba dato, undecim quas secum ibi habuit naves jungi jussit; in media acie regia navis stetit, cui ad latus alterum jungebatur Serpens brevis, ad alterum Grus, ceteræque quaternæ naves [1]) ab utroque deinceps latere. Quæ manus, etsi magnis navibus veheretur, exiguus erat hominum manipulus præ invicto illo exercitu, quem habuerunt adversarii. Nunc ille, uti par erat credere, exercitum suum desideravit. Multorum enim prudentium virorum sermo est, regem Olavum brevi victoriam ab adversariis suis reportaturum fuisse, si ibi tum adfuissent quinque **)

*) Ordo: *Geta* [1]) *skal þess máls, er menn kváðu dáðöflgan gram mæla við dólgafúngs drengi at vopna sennu. Hnekkir hertrygðar* [2]) *bað-a* [3]) *sína* [4]) *rekka hyggja á flótta. Þröttar orð þess þjóðar setsa* [5]) *lifu.* Ignorant hanc strophen C. S.

[1]) *gæta*, observare, B. [2]) *hratt tryggðar* B. sensu cassum. *hertygðar*, Hkr. quod conjectura videtur, ab *hertogi*, dux, itaque exercitus, vel munus ducis. *hnekkir hertrygðar*, intellexi eum qui in exploranda fide militum diligens est et severus, improbosque rejicit. [3]) sic Hkr., quod et nexus flagitat. *bað ú*, A. B. F. Sk. [4]) sic Hkr. Sk. *sinna* A. prave. [5]) *þjóðar hnossa*, F. *þjóðer hnossa*, Sk. dub.

**) parvæ, add. B. [2]) sex, B.

illæ magnæ naves, quarum supra mentio facta, totaque ea classis, quæ ab eo navigaverat*), quæque tot fortes viros vehebat, cum tres principes numerosissimis copiis comitati tam paucas naves, quas habuit, nonnisi summo negotio devincere possent. Meminit Hallfredus, Olavum regem desiderasse copias, quæ ab eo navigaverant, et hoc prælium magnam ei gloriam peperisse, his verbis:

Ibi certo regem, qui commisit prælium,
credo amisisse multorum nimis
Thrandorum militum auxilium;
permulta gens conjecit se in fugam.
Rex strenuus cum regibus duobus
et tertio Satrapa prælium
commisit; moris est præclari,
talia commemorare facta.**)

Milites regis Olavi naves, ut jusserat, conjunxerunt. Rex autem videns, eos proras jungere Serpentis longi & Serpentis brevis, alta voce

---

*) cum eo navigaverat ab Norvegia, B.

**) Ordo: *þar hykk* [1]) *víst gram þann, er framdi gunni mistu* [2]) *a) til mjök gengis þrœnzkra* [3]) *drengja; mörg dróttkom á flótta. Nœfr b) alkvaldr vá einn við tvá snjalla jöfra ok jarl inn* [4]) *þriðja; frœgr síðr* [5]) *er at segja til slíks.* Abest hæc strophа a C. S.

[1]) *hygg*, id. B.; *hyggiunst* pro *hykk víst*, Sk. [2]) sic B. Hkr. Sk.; *místi* A., quod cum constructione non convenit. [3]) *kœnskra* B. prave, ut puto. [4]) sic scripsi divisim, A. *jarlinn*, una voce; *jarl hinn*, Hkr. Sk. [5]) *síðar*, quod, si *frœgr* mutatur in *frœgt* sec. var. lect. Hkr. D., bonum fundit sensum: *frœgt er at segja til slíks síðar*, præclarum est, talem virtutem (agendi rationem) commemorare.

a) de forma *mistu* alibi quædam annotavi. *b*) *nœfr* id. q. *knœfr*, *knúr*, (a *knú*, posse, callere), strenuus, it. peritus, callidus; in voce compos. occurrit Edd. Sn. p. 202 *orðnœfr*, facetus in dictis.

clamavit: magnam illam navem longius provehite; nolo in hoc exercitu omnium postremus esse militum meorum, ubi prælium inceperit. Tum Ulfus Rufus, signifer et proreta regis: si eo usque longius ante cæteras naves promovendus est Serpens, quo ipse cæteris est major et longior, difficilis orietur labor circa loca proræ proxima. Rex reposuit: ideo Serpentem aliis navibus longiorem curavi fabricandum, ut eo audacius in præliis promoveretur, et facile conspicuus esset tam inter præliandum quam navigandum; verum tum ego nesciebam, futurum, ut proretam et rufum et timidum haberem. Ulfus respondet: cave, o rex! ne tu magis tergum vertas, celsam puppim defendens, quam ego proram. Rex arcum manu tenuit, sagittam nervo applicuit, et in Ulfum vertit; tum Ulfus: noli me jaculari, domine! eo potius sagittam emitte, quo opus est magis, hoc est in inimicos tuos; tibi enim operor, quicquid facio; fieri potest, antequam dies in vesperum declinaverit, ut haud nimius tibi videatur militum tuorum numerus. Rex sagittam recepit, neque emisit. Qui dum hæc inter se colloquebantur, viderunt milites regii cursoriam Vendicam, quæ hoc die ab austro plerumque sola sibi navigaverat, tanta celeritate ad Serpentem pone celsam puppim ferri, vix ut oculis animadverti posset; tum vir quidam in prora surgens cum rege colloquebatur peregrino sermone, cui rex item respondebat sermone usus, quem Norvegi non intellexerunt. Qui cum brevi collocuti fuissent, illi navigium remis ad terram propulerunt, ibique in ancoris tenuerunt. Regiis militibus, quærentibus, quinam essent ignoti illi homines, qui cum eo collocuti fuissent? rex respondit: hi homines fuerunt mihi noti ex Vindlandia.

Instructæ acies Danorum et Svionum.

Cap. 250. Rex Olavus in celsa puppi Serpentis stetit, et super alios eminebat: inauratum gestavit clypeum, galeamque auro illitam, supra alios omnes longe conspicuus, rubram tunicam brevem bombycinam loricæ superinduerat. Conspicatus autem rex Olavus copias adversariorum in manipulos dividi, horumque principibus vexilla præferri, suos interrogavit: quis dux est copiarum e regione constitutarum? Respondentibus, Sveinem regem esse cum Danorum exercitu: haud, inquit, molles atque imbelles illos metuimus; non enim Danis magis animus inest, quam capris sylvestribus; nunquam Dani victoriam ab Norvegis retulerunt, neque referent a nobis hodie. Quis vero dux signa sequitur, quæ deinceps a dextra sunt? Responsum est, ibi regem esse Olavum Svethicum cum Svionum copiis. Rex: facilius et jucundius Svionibus videbitur, domi sedere, paterasque cruoris sacrificalis lambere, quam vestra in Serpente Longo tela hodie subire; quare spero, non opus esse, ut Sviones metuamus hippophagos. Quorum vero sunt ingentes istæ naves, quæ ab exteriore latere Danorum sunt constitutæ? Ibi est, inquiunt, Eirikus Satrapa, Hakonis filius. Tum rex Olavus: sane quam nobiles viros in hoc exercitu contra nos opposuerunt. Eirikus autem Satrapa justas, credo, sibi habere videtur causas nos aggrediendi; a cujus copiis acre nobis certamen exspectandum. Norvegi enim sunt, ut nos sumus*). Posthæc reges et Satrapa

*) Hic B. inserit: Thyria regina, videns apparatum prælii, magna afflicti tristitia occepit. Cui rex Olavus: nunc non est, quod plores, inquit; jam enim possessiones recepisti tuas, quæ tibi

naves hosti admovere. Jam vero ita refert Snorrius Sturlæ filius et plerique alii, Sveinem, Danorum regem, primum copias suas Serpenti Longo et maximis navibus Olavi regis admovisse. Verum Hallarsteinn dicit in bimetro*) illo carmine intercalato de rege Olavo, Olavum

---

in Vindlandia fuerunt; hodie vero res tuas ab Sveine fratre tuo exigam, quod me sæpius rogasti. Tum reginam sub foros deduxit eique locum ibi apparari fecit, Sigundum deinde episcopum oravit, ut ei operam daret. *) *tvískœldu*] *tvískeldu* scribit A. Cum hæc vox difficultatem mihi crearet, in metri genus, quo utitur Hallarsteinn, diligentius inquirendum duxi, quod mixtum esse deprehendi binis metri generibus, quæ Edda vocat *skjálfhendt* (tremulum) et *tvískelft* (bitremulum), quorum rationem, Edda duce, mox exemplis illustrabo; scilicet quædam integræ strophæ sunt tremulæ, aliæ bitremulæ, interdum versus ejusdem strophæ alii sunt tremuli, alii bitremuli; prævalere tamen numero deprehendi versus tremulos. Hinc mihi vero simillimum videtur, lectionem *tvískœldr* veriorem esse, et significare: duplici metri genere constantem (quod brevitatis ergo bimetrum reddidi), nempe ex tremulo et bitremulo, vocemque compositam esse ex *tví* & *skálda*, qs. duplici modo carmen facere, itaque in lectione Cod. A. *tvískeldr*, æ positum esse pro æ (o: œ). In Lexico islandico B. Haldorsis hæc vox, ut puto, scribitur *tvískeflð drápa*, ode duplicata, a *skafl*, quæ lectio, atque adeo significatus et origo, dubia videtur. In mentem mihi prime venit, lectionem Cod. A. *tvískeldr*, secundum pronunciationem, positam esse pro *tvískelfdr*, eliso *f*, sed hanc sententiam missam postea feci, cum altera illa mihi aptior videretur. Hactenus de lectione vocis *tvískœldr*, ejusque significatu et origine; restat, ut de duobus metri generibus, quæ h. l. indigitantur, nempe tremulo et bitremulo, nonnulla afferam. Metrum tremulum (*skjálfhendt*), teste Edda Snorriana (ed. Erasm. Rask, Holmiæ 1818, pag. 245, §. 141), primus invenit Veilius (al. Thorvaldus Veilius, forte idem qui memoratur hujus historiæ cap. 216), qui naufragio facto, algente cœlo in scopulo quodam excubans, afflictis rebus consonantiam metricam accomodavit, et adductis litteris metricis servis, diductis vero syllabis metricis imparibus, duobusque positis ab

Svethicum primum copias contra Olavum Tryggvii filium admovisse, deinde vero Sveinem Danorum regem. Sic Snorrius refert, Sveinem regem naves suas Serpenti longo applicuisse, Olavum vero Svethicum remotius proras navium advertisse extremæ navi Olavi Tryggvii filii, ex altera autem parte Eirikum Satrapam. Satrapa navem bellicam duxit immanis magni-

initio monosyllabis, metrum hæsitabundum reddidit, quod inde tremulum appellatum est. Exiguum illud discrimen, quod interest inter metrum tremulum et bitremulum, ob oculos ponit Edda, pag. 242 §. 104, quem locum ita verto: „Hoc metrum „bitremulum est: — Huic primo et tertio versui (o: versibus im„paribus) inest id, quod variationem metrorum efficit; nempe „litteræ metricæ servæ tam prope constant, ut una tantum syl„laba interjecta invicem absint: hæ litteræ servæ metrum tre„mulum efficiunt, quarum prior in initio versus est; syllabæ „vero metricæ (o: impares) quam longissime invicem distant. „Sin vero in syllabam, quæ primæ est proxima, syllaba me„trica prior incidat, metrum tremulum ultro se obfert." Illustrabo rem ex stropha, quæ in hoc capite quarta, totaque bitremula est: *Straung vard stálin súngu* &c. Hic bina *s* (sequente *t*) in vocibus *straung*, *stálin*, litteræ metricæ servæ sunt, inter quas una tantum syllaba *vard* intercedit; sic in tertio versu bina *g* in *gramr*, *gjörðist*, intercedente *skaut*, et sic in ceteris imparibus versibus. Hic litterarum metricarum situs metro tremulo et bitremulo communis est. Syllabæ metricæ sunt h. l. *straung* — *súng* (*u*), *gramr* — *rimm* (*u*) &c. o: prima et penultima syllaba versus; hoc proprium est metro bitremulo. Nam in metro tremulo, syllaba metrica prior incidit in syllabam, quæ litteras metricas servas intercedit. Hinc fit, ut in metro bitremulo syllaba metrica prior in eandem vocem incidat, in qua prior est littera metrica serva, unde nomen bitremuli venisse videtur. Exemplum metri tremuli peti potest ex hujus capitis stropha tertia, quæ tota tremula est: *Ávrbragðs ærir lögðu*, in quo alternis sibi succedunt, primo littera metrica prior, deinde syllaba metrica prior, tum littera metrica posterior, denique syllaba metrica posterior, quod ex supra dictis sequitur.

tudinis, qua in expeditionibus piraticis vehi consveverat, cujus summa ora, ab utraque proræ parte, barba munita erat, sed infra barbam crassa fuit lamina ferrea, quæ oram latitudine æquabat, et in mare usque pertinebat; ideo hæc navis Jarnbardius (ferreæ oræ) dicta est, et omnes naves firmitate superabat. Tum classicum cani cœptum, clamorque bellicus sublatus, acreque ortum est prælium. Sigvaldius satrapa naves suas extra classem ferri jussit, necdum eas ad prælium duxit, cujus itaque in hoc prælio exigua fit mentio. Attamen sic dicit Skulius Thorsteinis filius, qui Eiriki satrapæ comes erat:

Secutus sum hostem Frisiorum
Sigvaldiumque; (juvenis nactus sum
decus perenne, ubi sonuere tela;
nunc sentiunt viri me senescere),
ubi tulimus cruentum
tigillum vulneris in strepitu galearum
adversus bellicosum heroa, in australi
regione, ante Svöldræ ostium.*)

Fuit hæc pugna acerrima; emissæ primo sagittæ tam arcubus e latere instructis, quam manuariis, deinde hastæ et tela pennata**); in quo prælio rex Olavus omnium fortissime rem

*) Ordo: *Ek fylgda Frísa dólgi a) ok Sigvalda, (ek fékk aldrbót, þar er spjörr súngu; nú finnr [1]) öld, at ek eldumst), þar er bárum [2]) roðinn súrlauk [3]) í dyn hjálma til móts við málmþings mœtan [4]), sunnr fur [5]) Svöldrar mynni.* Abest in C. S. [1]) *fiðr*, id. Hkr. OTr. c. 123. [2]) *báru*, id., eliso *m*, Sk. [3]) *súrlauks*, in gen., Sk. [4]) *mœti*, occursorem i. e. frequentantem (conventum gladiorum) Hkr. [5]) *frá*, ab australi parte, Sk.

a) intelligitur Erikus Satrapa, ob prælia cum Frisiis commissa.

**) de qua voce adi Speculum Regale.

gessisse dicitur. Adstipulatur Hallfredus Difficilis-poeta in carmine de Olavo:

Desæviente nondum jactu telorum,
jam comminutores clypeorum
hastas emiserunt, sagittis
celeriter per aëra lapsis.
Fama tulit, dominum meum,
ubique notum, strenuissime
progressum esse in conflictu
metallorum a parte maris australi.*)

Meminit Hallarstein**), Sveinem regem sexaginta naves admovisse Olavo regi Tryggvii filio, postquam Olavus Svethicus prius contra cognominem suum pugnaverat et cum copiis suis terga verterat, his usus verbis:

Volantium sagittarum ministri,
vice altera, sex decades navium
Serpenti applicuere; atrox fuit
conflictus tabularum Göndulæ.
Satellites cadebant, ubi Danicus
exercitus carum oppugnavit principem;
cecidere multi, clangebant corvi.
Is regum potentissimus est. †)

---

*) Ordo: *Brodda flaug var lítt hept, áðr bauga brjótendr skyti spjótum; örvar liðu fram gjörva á lopti. Hitt var orð, at minn hvarkunnr* [1]) *drottinn sótti mest harðast fram í málma gnaustan* [2]) *fur* [3]) *sunnan lög.* Hæc stropha abest ab S.

[1]) *hvarkunni*, term. determ. Sk. [2]) *gnostu*, id. Sk. [3]) *við*, juxta, B.

**) hoc loco margini membranæ A adscriptum erat: *hèr var or blað*, o: deerat hic unum folium; quo librarius significavit, apographum, quod transscripsit, mancum fuisse. Itaque hinc usque ad signum textus sequitur Cod. B.

†) Ordo: *Ávrbragðs ærir a) lögðu annat sinn sex tigum flausta* [1]) *at linna; göndlar borða gnaust b) var grimt* [2]). *Hirð fèll, þar er danskr herr sótti dýran harra; mörg* [3]) *dróttt hnè, hrafnar gullu. Hann er ríkstr konúngmanna.* Hæc stropha proxi-

Milites Sveinis regis proras navium quam confertissimas adplicuerunt utrique Serpentis longi lateri, qui ante ceteras naves Olavi regis multo prominebat, item quoque Dani*) fortiter aggressi sunt Serpentem Brevem et Gruem; tum acerrima pugna fuit, multorumque cæde nobilis; universi anterioris navis propugnatores in Serpente cominus rem gerebant, quibus quidem facultas erat, ipse autem Olavus rex et puppis defensores sagittas ex arcubus et levia missilia emisere, Danosque quam creberrime interfecerunt, quosdam vero vulneraverunt. Quam rem testatur Hallarsteinn:

Firma regii vexilli pertica
ferebatur; gladii sonuere; rex
tela misit; grassabatur pugna
atrox in longum Serpentem.
Strenuus exercitus diserti
Norvegiæ custodis haudquaquam agmina
Jotorum vulnerare noluit.
Olavus sub solis via.**)

---

meque sequentes tredecim absunt ab A. & S., textus in his sequitur B.

[1]) *lömdust þar flaustra*, pro *sex tigum flausta* Sk. [2]) *grjótvarg*, contra metrum, Sk. In textu aptius ad metrum foret *varð*. [3]) *mörk* Sk.

a) *avrbragð*, motus sagittæ, jaculatio; *ærr*, id. q. *árr*, minister, ministri jaculationis, sunt pugnatores. *b*) conflictus clypeorum, est pugna.

*) Sviones, B.

**) Ordo: *Sterklig staung* [1]) *jöfurs merkis* [2]) *reið* [3]); *stálin súngu a*); *gramr skaut; rimmu* [4]) *gángr gerðist á orminn lánga. Nýtr herr orðprúðs* [5]) *Noregs gætiss var-a* [6]) *nærr trauðr at særa Jóta ferðir. Olafr und veg sólar.* Abest in A. S.

[1]) sic C. Sk.; *straung* B. vide *a*. [2]) ita Sk.; *merki* B. [3]) sic C. F. Sk.; *varð* B. vide *a*. [4]) *snemma*, mature, cito, F. Sk. [5]) ita C. Sk. *orðprúð* B, quæ vox nihil habet, quo refe-

Quamvis autem Sveinn rex cum sexaginta navibus hoc in impetu strenuissime *) Norvegos oppugnaret, tamen universus quoque Danorum et Svionum exercitus assidue eos telis eminus fatigabat, adversus quos rex Olavus copiæque suæ magna cum laude se tutabantur, suis tamen hoc impetu cadentibus. Qua de re sic Hallfredus:

Exercitus numerosus fecit impetum,
periculis objectus; sed strenuus
princeps æquoreum jumentum
a Danis defendit galeæ spiculis.
Accepi grave damnum, eo quod
complures amici, mihi cari,
occubuere ibidem cum illo
rectore pontigradi caballi.**)

Rex Olavus audacter rem gerebat, quam plurimum sagittas arcu aut jacula manualia emittens; cum vero impugnatio adversus Serpen-

---

ratur. [6]) sic dedi; *var á* B.; *var-at* C., bene; *ótrauðr var*, volens fuit. Sk. eod. sensu, sed situ vocum, auribus ingratissimo.

a) Ex lectionibus B. hic ordo & sensus elicitur: *Straung stálin sungu; varð sterklig jöfurs merki*, o: severa (dura) metalla sonuere; facta sunt firma regis vexilla, i. e. vexilla regis inter acerrimam pugnam loco moveri nequiverunt. De anomala constructione, qua verbum in sing. ponitur cum subjecto plur. num., supra aliquid attuli.

*) Serpentem et, add. C.

**) Ordo: *Hraðmargr herr sótti, þar er hætti; en harðfengr hilmir varði Dönum unda drasil hjálmspjótum* [1]). *Ek hlaut* [2]) *meir mein af því, at* [3]) *minir fleiri holluvinir fèllu þar með þeim þolli geyma skæviðar.* Abest in A. S.

[1]) *hjálmsprotum*, id. C. Sk. [2]) *hlutu*, acceperunt, pro *hlaut ek*, hoc ordine: *minir hollv. fèllu þ. m. þeim þolli g. skæv.; fleiri hlutu mein af því*, plures damnum ex eo acceperunt (o: quam ego). [3]) *at* omitt. C. Sk.

tem increbuerat, rex procedens rem cominus gessit, et multorum hominum capita ense discidit. Cujus rei meminit Hallfredus:

Lustrator militum, in australi regione,
pugnatoribus inclytis gladio
dissecuit stipitem comæ durum;
pervasit is (furens) per navium foros.
Rex calluit in pugna vulnerare
vivam carnem loricatam;
multi super tenui gladio
pugnatorum jacuere cæsi.*)

---

*) Ordo: *Herskerðir a) klauf harðan svarðar stofn kunnum eldviðum b) sunnr c) með sverði; hann gekk (reiðr [2]) of skeiðar. Gramr [1]) kunni d) rá-súrka barkaþ hold át gunni; margr gunnþings heggr lá of höggvinn á þunnum hjör.* Abest in A. S. Sk.

[1]) hanc vocem ipse addidi, uncisque inclusi; in Codd. vacuum spatium voci erat relictum. [2]) Posterius hemistichium exstat in Edd. Snorr. mscr. his verbis: *þat er súrkat er roðit er, sem Hallfröðr kvað: kunni gramr at gumni Gunnþinga járnmunnum (margr lá herr um höggvinn) Holl barkat rá súrka*, i. e. *súrkat* dicitur, quod rubuit, teste Hallfrödo: novit rex in prælio ferreis gladiorum rostris (militum multi jacuere cæsi) carnem loricatam vivam rubefacere.

a) *herskerðir* bifariam intelligi potest: 1o. minuens, delens exercitum, nempe hostium, i. e. præliator. 2o. lustrans exercitum, imperator, dux, ut adeo *herskerðir* idem valeat ac *herskorðuðr* et *herskorðandi*, OH. c. 74 str. 1. Har. Severi c. 5 str. 1. a phrasi, *at skora lið*, lustrare exercitum. *b*) *eldviðr*, pugnator, ab *eldr*, ignis, it. poetice, gladius. Sic *eldr* absolute ponitur pro gladio Orkn. c. 22, str. 4, ubi *eldhríð*, procella ensis, pugna, et Orkn. c. 66, str. 1. *eldi firðr*, inermis, id. q. in prosa *slippr*. *c*) jungi quoque possunt, *klauf sunnr*, dissecuit, ut *sunnr* sit pro *sundr*, ut *funnu* pro *fundu*. *d*) *barkaðr*, cortice tectus, i. e. loricatus, cfr. supra *barklaust birki* P. 1. p. 130 (Text isl.) *Súrka*, proprie est saucium facere, vulnerare, a *sár*, vulnus, ut *saurga*, contaminare, a *saur*, sordes. *Rá-súrka*, crudum

Dani in oppugnando magnas experti sunt difficultates, nam anterioris navis custodes ex classiariis Serpentis longi, nec non proretæ Serpentis brevis et Gruis, injectis in navem Sveinis regis ancoris et manibus ferreis, cum tela deorsum haberent ingerenda, quippe qui navibus veherentur multo majoribus & altioribus, omnes Danorum naves, quas tenere potuerunt, defensoribus nudarunt; rex vero Sveinn et quicquid elabi potuit militum ejus, in alias naves profugerunt, et deinde defessi et vulnerati extra teli jactum se receperunt; atque sic exiit pugna adversus hunc exercitum, quemadmodum conjectaverat rex Olavus Tryggvii filius, ut Dani ex Norvegis victoriam non reportarent; Qua de re ita Hallarsteinn:

Conflictus, densis infestus telis,
Svenoni cessit infeliciter;
virorum audivi manavisse vulnera;
capessivere Dani præcipitem fugam.*)

Sic refert Snorrius Sturlæ filius, Olavum Svecum vicissim classem suam admovisse, ubi Sveinn rex recesserat; heic denuo pugna atrocissima oppugnatioque acerrima incrudescere, ingentes fragores ingeminare maximusque clamor, hortatione virorum crepituque armorum, telis collidentibus. Rex Olavus summa fortitudine se tutatus est, suis eum strenuissime comitantibus. Quam in rem ita Hallarsteinn:

Tumultuosæ cædis stridor vehemens
circa occisorem Vendorum exstitit

(i. e. vivum) vulnerare. *gunnſting*, in sing. conventus bellonæ, prælium; in plur. ornatus, instrumenta ad pugnam pertinentia, arma v. armatura. *heggr*, v. supra P. 1. p. 28, (Text isl.)

*) hæc semistropha abest in A. S.

sub circulorum camera; id significo;
sonuere volantia tela.
Ferarum amicus sustinuit
multum impetum in duro militum
conflictu, sed virorum copiæ
rhedas vastavere marinas.*)

Hallarsteinn testatur, Sviones quindecim navibus Serpentem longum oppugnasse, acremque impetum fecisse, quippe recentes et indefessos, Norvegos autem strenue se defendisse, multos interfecisse, quosdam vero vulneravisse. Sic ille:

---

*) Ordo: *Rammr vígstyrs* [1]) *a*) *rymr* [2]) *varð um* [3]) *Vinda myrði* [4]) *und randa* [5]) *himni; en þat lýsek; spjör knáttu glymja. Vargholl stóðst marga þrimu* [6]) *við* [7]) *harðan* [8]) *hirðar* [9]) *hinn-vegg* [10]) *b*), *en* [11]) *fjöld seggja vælte* [12]) *veðiss reyðar* [13]). Hanc strophan ignorant A. S.

[1]) *vígskýrr* F. C. Sk. i. e. clypei militaris, a *vág* &c. *skýrr* (in Edd. Sn. mscr. scribitur *skirr*) clypeus, qs. splendidus in pugna. *vígskýs*, aubis bellicæ, o: clypei, Exscriptum carminum historiæ Ol. Trygv., optime. [2]) *reynir*, tentator (o: pugnator), vel sorbus (i. e. gladius) Sk. contra metrum. [3]) *verðum* F.; *vordum* Sk. corrupte. [4]) *myrðir*, id. Sk. [5]) *randar*, circuli C. Sk. svavius, ut mihi videtur. [6]) *þrim* Sk. [7]) *var* C, male, ut videtur, intellectis siglis. [8]) *hardir* Sk. [9]) *hirðir*, custos, Exscr. o: *hirðir viðiss velti-reyðar*, custos jactabundæ æquoris rhedæ (navis), imperator. [10]) *hnít-vegg* F. Sk. tempestatem conflictus, impetum pugnæ, vel parietem conflictus, clypeum (ut prætendens sibi). [11]) *með* Sk. multis copiis stipatus. [12]) *velti* Sk. id. q. *veltir*, afflictor, victor, ut *vísi* pro *visir*. [13]) *meidar*, ligni, id. Sk. C.

a) *vígstyrr*, pugna cædibus foeda, vel potius tumultus pugnæ, a *styrr*, tumultus, turba. Forte melius junxerim, *spjör knáttu glymja um Vinda myrði*, sonuere tela circa Vend. ecc. *b*) in textu retinui *hinn-vegg*, quod voculam *hinn* depravatum putavi ex *hvin*, *hvin-veggr*, stridens tempestas, aut ex *hnit*.

Missores galeæ lunarum
in regem concitarunt quindecim
equos piratæ subdiales.
Olavus sub via solis.*)

Sviones similem Danis fortunam experti sunt, Nordmanni enim naves eorum manibus ferreis et ancoris retinuerunt, earumque quas assecuti sunt, propugnatoribus nudarunt; quorum gladii omnibus Svionibus, quibus ictus inferre potuere, easdem indixerunt leges; teste Halfredo:

Belluæ teguminum militarium,
necem viris parantes, circuli
cratibus indixere leges ferreas;
brevi duravit vita hominum.**)

*) Ordo: *Fleygjendr fjörnies mána a) rendu fimtán úti* [1]*) blavkkum Ekkils b) at gram. Ólafr und veg sólar.* Abest in A. S.

[1]) *ýti* F. C. *iti* Sk.; vel eod. sens., vel ab *at ota*, *etja*, concitare, id. q. *etju hestr*, equus curulis.

a) i. e. pugnatores, non qui abiiciunt clypeos, sed qui vel clypeis se tegere non curant, vel hostes clypeis infestis repellunt, ut de Camillo refert Livius Libr. 5, cap. 47. *b*) *ekkill*, piratæ nomen. *útiblakkr* equus, qui per hiemem non stabulat, sed sub dio pascitur; h. l. intelliguntur naves bellicæ.

**) Ordo: *-hlífa gálkn* [1]*) a), gnóg til gumna feigðar, sögðu upp lögðins* [2]*) lög b) við randar bálku* [3]*); líf* (vær) *c) skjótt fírum.* Abest in A. S.

[1]) *gálku* Sk. prave. [2]) *lögðar* F. *logðar* Sk. obsc. [3]) *bálka*, id. Sk.

a) *gálkn*, sphinx; vide Gloss. Njalæ; h. l. et alibi de re, quæ alii damnum adfert, itaque *hlífa gálkn*, noxæ armorum defensoriorum, sunt gladii. *b*) i. e. sæviebant in scuta, bellum indicebant scutis; *lögðir*, gladius, *lögðis lög*, leges gladii, pugna, vel leges ferreæ, duræ, atque proinde, vis illata. In prosa sensus hujus semistrophæ his verbis exprimitur: *Sögðu sverð þeirra ein lög öllum Svíum, er þau til náðu*, o: eorum enses omnibus Svecis, quos quidem

Quare Sviones pertæsum est, certamen diutius eo loco sustinere, ubi rex Olavus Tryggvii filius cum delecta fortissimorum virorum manu acerrime rem gerebat. Cujus rei meminit Hallfredus Difficilis-poeta:

Distæduisse testificor
luminis æquorei altores,
adversus principem virorum
conventum agere hastæ terribilem.
Quando oneratores fortes equi,
tabulis ornati pictis, processere
cum satraparum amico, indusiis
hamatis induti, subactis malleo.*)

---

tetigerunt, easdem indixerunt leges. Quapropter haud invitus mutaverim *τὸ logþiss* in *lagþisc* (i. e. *lagðist*), hoc ordine: *hlífa gálkn, við randar bálka, sögðu firum upp lög, gnóg til gumna feigðar; líf lagðist skjótt;* i. e. enses scutis illisi, viris leges indixerunt, ad necem inferendam idoneas. *c*) Verbum „*er*" sæpe subauditur, cujus ellipseos plurima reperies exempla in Vigagl. c. 3, 15. 6, 5. 7, 12. 11, 11. 12. 16, 10. 20, 8. 23, 8. *skjótt líf*, vita cita, i. e. cito transiens. Superflua vero erit tam hæc ellipsis, quam vocis *skjótr* notio, si conjecturam modo allatam admittes.

*) Ordo: *Leitt* [1]) *hygg* [2]) *váru a*) *leifa brautar lognárúngum b*), *at eiga geigr-þíng* [3]) *geirs við gumna stjóra: þá er fræknir fák* [4]) — *hlaðendr farlegs húfs* [5]) *c*) *gengu fram, at vin jarla, meðr hríngs skyrtur hamri þæfðar* [6]) *d*). Abest in A. 8.

[1]) Sic restitui; *leit* Sk. *let it* B. sine dubio, librarii errore pro *leitt*, neutr. adj. *leiðr*, odiosus. [2]) *hik* Sk., rectius *hykk*. [3]) *þannik*, Sk. ɔ: *at eiga þannik geirs geigr við g. st.*, talem hastæ noxam (pugnam) committere cum &c. [4]) *frek* —, Sk. lupi, id. [5]) *úfs*, id. Sk. [6]) *hefðar* Sk. si legis *hæfðar*, sensus idem prodit; malleo collineatis, i. e. cusis, fabricatis.

a) de forma *váru* vide supra p. 125 (Text islandici). *b*) *leifa braut*, via piratæ, mare, ejus *lóg*, aurum; *nárúngr*, qui alit, nutrit, a *næra*. *c*) qui pulcram navem onerant, i. e. viri navigatores, classiarii. *d*) indusium annuli,

Ferunt, pugnam acerrimam cædibusque insignem gestam inter cognomines fuisse, antequam Olavus Svecus pedem referret. Cujus meminit Steinn:

Cinereus giganteus equus,
rostra madens, cadavera jugiter
discerpsit; insonuit gladius clypeis
percussis; tela spargebant cognomines.
Manus Svionum exuta est victoria;
gladii pupugere, sed sagitta volavit;
exarsit pugna, fugere milites.
Aula, et omni parte præstantissimus.*)

---

lorica hamata; *hamri þæfðr*, poet. pro fabricatus. Sic *skyrta hamri sæð*, malleo consutum indusium, lorica appellatur Knytl. 14, 2.

*) Ordo: *Grár* [1]) *tröllmar* [2]), *tríni* [3]) *sollinn* [4]), *reif jafnan* [5]) *hræ* [6]); *brandr gall við slög randa; tveir nafnar gjörðu drífu* [7]). *Svenskr herr var þorrinn sigri; sverð beit, en þeita* [8]) *fló* [9]); *hríð óx, höldar flyðu. Höll ok fremstr at öllu.* Abest in A. S. [1]) sic Sk.; *grárr* id. C.; *gráreif*, una voce B. & exscriptum quoddam Carminum hujus historiæ mscr., levcophæa, vel malevola, infesta. [2]) sic C. F. Sk.; *travllan* B., quam vocem non intelligo. [3]) sic Sk. Exscr. *trúr var* B, quod cum ceteris conciliare nequeo. [4]) *sollnum* Exscr.; *tveir nafnar jafna hræ tríni sollnum tröllmar*, duo cognomines cadavera lupo rostra madenti ex æquo partiuntur (i. e. pari virtute se præbent). [5]) *jafna*, ex æquo partiuntur, Sk. [6]) sic C. F. Sk.; *þar*, ibi (o: spargebant tela) B. [7]) *drífa* Exscr. *gráreif gjörðist drífa*, levcophæus (v. infestus) exstitit telorum nimbus. [8]) sic C.; *feita* B. cet. Lectionem *þeita* h. l. unice veram arbitror, et ex ea corrigendum locum Edd. Snorr., in sagittæ nomenclatura, p. 216; ubi *peita*, pro *þeita*, errore librarii, positum est; in quibusdam Edd. Sn. mscr. h. l. adscriptæ sunt var. *perta* & *þeita*. *þeita* vero, sagitta, derivo a *þeita* (*þeyta*), jacere, mittere, quemadmodum *þveita*, *þveitr*, securis, lapis, a *þveita* id. q. *þeita*. [9]) sic C. F. Sk. *blá*, livida, B.

Svionès magnum amiserant militum numerum et naves suas ingentes, et plerique Olavi Sveci comites saucii erant, ipse vero, nullo honore auctus, satis habuit, quod saluti fuga consulere potuit. Sic dicit Hallarsteinn:

Ruber procellarum Odinianarum
titan cito volabat; non quies
data est. Coactus est gestor clypei
duos simul respicere principes.*)

Tum Olavus Tryggvii filius et Danos et Svionès in fugam conjecerat, teste Steine:

Flamma volabat bellonarum;
rex in fugam convertit principes duos;
ejus gloriam extulit victoria.
Aula et omni parte præstantissimus.**)

Quæ res evenit, quemadmodum rex prædixerat.

Res inter Olavum regem et Eirikum satrapam gesta.

Cap. 251. Porro dicendum, quid gerebat Eirikus satrapa, dum reges cum Norvegiæ rege

*) Ordo: *Rauð sól Svölnis jela rann* [1]) *skjótt; var-a* [2]) *friðr; rít-rækir* [3]) *mǽtti at líta tvenna* [4]) *döglinga senn.* Abest hæc semistropha ab A. C. F. S.

[1]) *raun-skjótt*, admodum cito Sk. hoc ordine: *ræsir mátti raunskjótt at líta svölnis jela sól þrennra döglinga senn.* Rex coactus est trium simul principum gladios opinione citius respicere i. e. plures simul reges in prælio excipere. [2]) *var á* Sk. & mox *ferð*, pro *friðr* o: *rauð rít var á ferð*, ruber clypeus in motu erat, i. e. infestis clypeis res gerebatur. [3]) *ræsir*, rex, Sk. [4]) *þrennra*, trium Sk. vix recte.

**) Ordo: *Skögla* [1]) *tandr a*) *flaug; tiggi vendi tveim döglingum; hans vegr hôfst með sigri. Höll, ok fremstr at öllu.* Abest in A. S.

[1]) *Sköglar*, in sing. deficitis, C. Sk.

a) i. e. gladius; *tandr*, ignis, unde *tendra*, accendere, dan. *tænde*, it. *tundr*, fomes, dan. *Tönder*.

pugnabant. Satrapa primo novissimam*) navem regis Olavi Tryggvii filii in altero cornu aggressus, ut ante dictum, lateri ejus latus Jarnbardii applicuit, eamque navem militibus nudatam, vinculis ruptis, a reliqua classe disjunxit, deinde proximam aggressus, pugnavit donec etiam illa propugnatoribus erat nudata; hinc e minoribus in majores naves se recepere classiarii, satrapa vero, quamcunque vastaverat navem, rupto vinculo a ceteris disjunxit. Tum autem Dani atque Sveci intra teli jactum accedentes, undique naves Olavi regis cinxere, sed Eirikus satrapa identidem latus lateri jungens, cominus cum hoste pugnavit, in cujus navibus in locum occisorum succedebant Dani et Sviones, sangvilurcones, recentes et integri. Qua de re ita Haldor non-christianus:

Acutorum ensium strepitus
circa Serpentem longum exstitit,
ubi aurea tela sonabant;
commisere diu pugnam juvenes.
Viros ferebant Svecos, et Danos,
acuti gladii ministros, eum
secutos esse in contentione
hostili, in regione australi.**)

*) extremam, C.

**) Ordo: *Gángr a) snarpra sverða gjörðist um* 1) *orminn* 2) *lánga, þar er* 3) *gollin spjör gullo; drengir slitu lengi fríð. Kváðu svœnska* 4) *menn ok danska fráns leggbita* 5) *b) runna fram fylgja hánum, sunnr, at dólgs* 6) *sennu.* Abest in A. C. S. 1) *of*, id. Hkr. c. 124. 2) *orm hinn* id. Hkr. 3) abest *er* in Hkr. 4) *sœnska*, id. Sk. Hkr. 5) *leggbíta*, per acutum *í*, Hkr. 6) *dverge*, nani, F.; *dúke*, panni, Sk. utrumque parum apte, metroque repugnans.

a) gángr pr. itio; h. l. grassatio vehemens, strepitus, ita ut sæpe *gángr*, et cum *ó* intens. *ógángr*, idem significent; sic OH. c. 12, str. 1, *skildir höfðu gáng*, strepebant. *b)*

Tum strenue acriterque pugnatum, et cecidere multi regis Olavi milites; quare eo res tandem deducta est, ut militibus nudatæ essent omnes naves ejus, præter Serpentem Longum, in quem se recepere omnes copiæ regis Norvegici, quotquot armis ferendis erant idonei; tum Eirikus satrapa Serpenti quinque magnas naves applicuit. Cujus meminit Steinn:

Satrapes inclytus, vice tertia,
iterum incitavit quinque
cito naves adversus Serpentem
illius bellicosi viri.*)

---

frán, acer, acutus, serpissime de gladiis, ut h. l., serpentibus & acie oculorum adhibetur. *leggbiti*, mordens crura, gladius, Sn. Edd. p. 214. Hujus vocis duæ adsunt formæ, nempe *léggbiti* & *leggbítr*; si cum ed. Havn. scribis *leggbíta*, erit gen. plur.; tum *fráns* non referri debet ad *leggbíta*, sed ad *dólgs*. Sic quoque in Edd. Sn. ed. Holm. rectius scribitur *leggbíti*, *kvernbíti*, pag. 214, quam *leggbiti*, *kvernbiti*; contra *leggbítr*, *kvernbítr* aliæ formæ sunt earundem vocum. Scilicet Substantivum verbale agentis, *biti*, qui mordet, ut et omnia fere verbalia, agentem significantia, quæ in *i* desinunt, a secunda classe conjugationum irregularium ortum traxerunt, et quidem a perf. part. passivi. Exempli loco sint: *boði*, *broti*, *viði*, *drifi*, *sofi* (qui sopit, a *svefja*, *svafði*, *sofinn*), *þegi* (a *þiggja*, *þá*, *þeginn*) &c. Verbalia agentis in *r*, derivantur ab infinitivo, ejusdem classis, v. c. *bjóðr*, *brjótr*, *hljótr*, *bítr*, *drífr* &c.; ex quo intelligi par est, quæ cuique voci scriptionis ratio conveniat. Obiter moneo, ex reliquis verbalibus, ea, quæ in *aðr* (*uðr*) desinunt, pleraque omnia deduci a 1ma Conj. simplicium; quæ in *ir*, a 2da Conjug. simplicium, v. c. *gætir*, qui custodit.

*) Ordo: *ítr* [1]) *jarl vendi enðr einkar marla*[*] *fim skipum þriðja sinni at ormi þess* [2]) *þremja storms* a) *manns*. Abest in A. S. [1]) *þá*, tum. *þá er*, quando, Sk. [2]) *þrek*, C. F. Sk. o: *þremja storms þrek-maðr*, vir virtute bellica insignis.

a) *þremjar*, quid proprie significet, non liquet. Partem

Satrapa navis suæ latus lateri Serpentis applicuit, ubi atrocissimum prælium exortum resque cominus ferocissime gesta; qua de re sic Haldor:

> Longus Serpens in duras nimis angustias redactus est:
> collidebant arundines cruoris,
> dissectæ sunt prorarum lunulæ;
> quum rector teli, noxii loricis,
> excelsum Barbum applicavit
> Serpentis lateri; victoriam in
> pugna satrapes retulit ad insulam.*)

---

fuisse gladii, apparere videtur ex appellationibus gladii, *þremja linnr*, *þremja svell*; vide Gloss. vitæ Vigagl., ubi per acies gladii explicatur, a *þrömr*, extremitas. Mea sententia eo inclinat, ut putem, *þremjar* idem esse quod *vetrimar*, nempe strias, in latere gladii, cuneatim versus mucronem procurrentes, quæ sententia accedit ad Magnæi in Gloss. Edd. Sæm.; nisi malis *þremjar* a *vetrimar* ita destingvere, ut hoc strias, illud striges designet. Cæterum h. l. pars gladii pro gladio est, ut Eyrb. c. 19. str. 1. *þremja þrymr*, tonitru gladii, pugna, sic h. l. *þremja stormr*, tempestas gladii, id.

*) Ordo: *Ormrinn lúngi kom í hǫldr harðan* [1]) *fjörð* [2]) *a), (dréyra reyrr* [3]) *hitto* [4]) *saman; túngl tíngla túngar* [5]) *b) skúrust þar), þú er brunflagðs* [6]) *c) reginn* [7]) *lagði borðmikinn barða við Fafnis síðu; jarl vann hjálms hríð at* [8]) *hólmi.* Abest in A. S.

[1]) *harða*, Hkr. ita ut *fjörð* sit gen. fem. [2]) *ferð* F. C. Sk. agmen. [3]) *reir* Sk. *reyr*, Hkr. rectius. [4]) *hnito* Hkr. *hnitu*, id. C. Sk., quod rectius puto, nam *hitta* (occurrehant invicem) et facilius, et ex *hnitu* facile potuit depravari. [5]) sic C. Hkr. Sk. *túngri* cet. [6]) *brynflagðs*, id. C. Hkr. *brynflags*, sec. pronunciationem, non proba scriptione, Sk. [7]) *regni*, Sk. vitiose. [8]) *und*, sub, i. e. prope, F. Sk.

a) *koma í harðan fjörð*, in difficilem sinum venire, metaph. magno versari periculo, ut vulgo *komast í krappan*

Eirikus satrapa in navis suæ interscalmio primate se continebat, ubi ita structa erat acies, ut scutis consertis munita esset; hic et gladiis cæsim et punctim hastis pugnatum est, nec non omne armorum genus, quod quidem manus admitterent, in hostem congestum; quidam missilia ex arcubus, alii jacula emittebant; unde tanta telorum vis in Serpentem ingesta est, ut vix scuto se quisquam tegere posset; adeo spissa volabat hastarum et sagittarum multitudo, cum undique Serpentem cingerent naves bellicæ. Milites vero Olavi regis tanto furore accensi sunt, ut in summas laterum oras insilirent, quo gladiis hostes attingere atque cædere possent; sed naviuin haud multæ ita Serpentem subiere, ut gladiis rem gerere vellent, plerisque enim res magni discriminis visa est, cum athletis Olavi regis decertare; Nordmanni autem nihil aliud cogitarunt, quam ut protinus usque pedem proferrent adversarios interfecturi, quare plane extra latera navis provolarunt, nil aliud præ animi fervore et vehementia animadvertentes, quam in campo & planitie rem geri, multique cum armis suis inter

---

ejó, in æstuosum mare pervenire, o: in magnas difficultates incidere. *b*) *tíngl* v. pag. 27. str. 2. (Text. isl.); *taung*, tenaculum, it. quælibet res, quæ aliam tenet, sustinet. Sic *taung rjúpu sylggrimnis*, est manus, accipitrem tenens, sustinens, Orkn. c. 79, str. 1. Eodem modo *tíngla taung*, quæ sustinet assulas frontales (*ennispœnir*), prora dicitur, hujus *tíngl*, luna proræ, clypeus: nam veteres clypeis imbricatim dispositis proras navium (immo interdum continua latera), ostentationis gratia, ornare solebant. *c*) *brunflagð*, gigantis loricæ, i. e. res, loricæ noxia, securis, telum. *brun* pro *bryn*, a *brynja*, lorica. Eadem forma est Orm. Storolfi f. ed. Skal. in Append. Ol. Trygg. p. 14, in voce *brunpálmr*.

naves demersi sunt. Quam in rem ita Hallfredus Difficilis-poeta:

Hamatæ loricæ tinctores,
Serpente egressi, pessum ibant saucii;
non vi adversæ cedentes
in pugna telis infesta.
Carebit Serpens talibus diu
viris, quocunque tandem fuerit
lapsus, virorum copias ferens,
quamvis eum gubernet eximius princeps.*)

Ex hominibus Islandis, qui tum in Barbone fuerunt cum Eiriko Satrapa, hi nominantur: Skulius, filius Thorsteinis Eigilis filii, Vigfus Vigaglumi filius, Torfius Valbrandi filius; ibi quoque tum fuit cum Satrapa vir Norvegus, nomine Finnus Eyvindi filius ab Herlandis, quem nonnulli Finnicæ gentis asserunt; hic arcus tractandi callidissimus et destinata certo ictu feriendi peritissimus dicitur omnium, quos

*) Ordo: *Verkendr* [1]) *Hèðins* [2]) *bauga serkjar sukku súrir niðr af naðri; görðut vægjast við í naddfárs böð a). Lengi mun Ormr vanr slíkra drengja, þars* [3]) *hann skrír með lið lýða, þóat* [4]) *aldýrr konungr stýri ormi.* Hic iterum incipit **A**. Abest hæc stropha in S.

[1]) *verkom endr* corrupte B. [2]) *hendis* corr. B.; *megin* Hkr. [2]) *hvars hann*, id. Hkr.; *hvar sem*, id. Sk. [4]) *af* Sk. male.

a) *verka*, verbum medii significatus, purgare, it. maculare. *Hèðins serkr*, lorica, adjecto *bauga*, lorica hamata. *Naddfár*, periculum teli, tela infesta; *naddfárs böð*, pugna telorum infestorum, periculosa pugna. Quod si vero verbi *verka* notio dubia videbitur; adest alia ratio: *verka* significat opus facere, it. agere, *verka til óhelgi sèr*, capitale facinus in se admittere. Orkn. p. 162. Hinc *verkendr Hèðins serkjar naddfárs*, qui patrant pugnam, præliatores; *Heð. serk. naddr*, clavus loricæ, gladius, hujus *fár*, pugna. Tum junge *í bauga böð*, in percussione clypei i. e. pugna. *baugr*, circulus, it. clypeus. *böð*, vulgo pugna, proprie autem verberatio, unde *böðull*, qui cædit, virgator.

Norvegia tulit, hominum; idem arcum Einaris Thambarskelferis fabricaverat. Einar in interscalmio angusto Serpentis stabat, ubi hoc die arcu tela emittebat; is omnium hominum validissime sagittas arcu excussit. Einar Eirikum Satrapam sagitta petivit, quæ summitati gubernaculi, supra caput Satrapæ, tanta vi impacta est, ut ad ligaturam usque pennarum penetraret. Satrapa circumspiciens suos interrogavit, an nossent tam valide jaculantem? et eo ipso momento alia volans sagitta adeo prope satrapam ferebatur, ut inter latus ejus et brachium transiens, tabulam, quæ pone caput erat, tanta vi penetraret, ut spiculum exstaret. Tum satrapa allocutus Finnum Eyvindi filium: jaculare, inquit, virum illum ingentem, in interscalmio angusto stantem. Finnus respondit: hunc hominem ferire non dabitur, quippe qui morti properæ non sit destinatus; illud autem fieri potest, ut arcum ejus pertundere queam. Tum Finnus sagittam, scalpri forma, emisit, quæ medium Einaris arcum percussit, quo temporis momento Einar arcum tertio validissime tendebat; quo ictu arcus dissiliens alte crepuit. Tum rex Olavus, quid tam sonore crepuit? Einar respondit: excussa, o rex! e manu tua Norvegia. Haud tantum effectum fragor iste dederit, ait rex, deus enim fata reget imperii mei, non arcus tuus; nunc accipe arcum meum, eoque utere. Tum rex arcum ad eum transmittit. Einar arcum arripuit et continuo cuspidem sagittæ intra cornu retraxit, dicens: nimis debilis, nimis debilis arcus regius; arcu deinde rejecto, clypeum suum et gladium arripuit, masculeque pugnam ciebat.

Cap. 252. Rex Olavus Tryggvii filius, stans in celsa Serpentis puppi, isto die sæpius ex arcu sagittas emittebat, interdum tela pennata, sed bina simul semper. Constabat inter omnes, tam amicos quam inimicos ejus, qui rei interfuerunt, et eos, ad quos rerum ibi gestarum certissima fama pervenit, neminem compertum sibi, qui fortius pugnaverit, quam rex Olavus Tryggvii filius, teste Hallfredo:

Viri, qui multa non detrectarunt
adire loca, dicunt, se non ullum adhuc
hominem præstantiorem reperisse
Olavo, hilarem in acie se præbente.*)

Ea in re Olavus rex plerosque reges antecellebat, quod in prælio se tam conspiciendum præbuit, ut nusquam memoriæ proditum sit, ullum regem se tam publice inter dimicandum ostendisse adversariis, numero tam prævalentibus; qua in re rex Olavus animi fortitudinem et generositatem ostendit, cum videre possent sui, eum nullum periculum fugere. Qua de re sic Hallfredus Difficilis-poeta:

Anglorum hostis imperterritus,
qui latas defendit regiones,
subire haud detrectavit vehementem
Hedinianorum juvenum contentionem.
Is justa de causa tinxit
cruore tela splendida,
ibi certo audivi gladiorum
incruduisse strepitum coram principe.**)

*) Ordo: *Ytar, þeir er víða* [1]) *nenna* [2]), *látast* [3]) *eigi enn of finna* [4]) *fremra mann fólkreifum Oleifi.* Abest hæc semistropha in S.

[1]) *víðast*, latissime, Sk. [2]) *renna*, peregrinantur, B. F. Sk. [3]) *láta*, dicunt, Sk. [4]) *finnast*, reperiri, B.

**) Ordo: *Bleyði firðr Breta stríðir, sá er varði víð lönd, firðist vættr* [1]) *við* [2]) *bráðum bekkdóm* [3]) *Hèðins* [4]) *rekka a*). *Hann*

Sed quo magis conspicuum et fidentiorem se præbuit rex in pugna, eo majorem hostibus timorem et pavorem injecit, teste Hallfredo:

Nemo non sub expanso
solis timebat liberalem
animosum Tryggvii filium;
metuebant pugnæ gestores*)

---

lèt mœr [5]) *skóð* [6]) *b) verða roðin blóði of* [7]) *sanna sök; þar vóx sverðjálmr* [8]) *fur skylja; ek frá skilit c).*

[1]) *veðr* Sk. vitiose. [2]) *ver* prave Sk. [3]) *brekdóms* Sk.; *brekkdóms* minus recte F. [4]) *fyrir kóngs* Sk. minus apte. [5]) *mörg*, multa, B. F. Sk. [6]) *slóð*, semita, Sk. [7]) *um*, id. Sk. [8]) *sverð – hjálmr*, puto prave, B.

a) bekkdómr, contentio, var. l. *brekdómr*, molestia (*brekkdómr*, forte metri causa, idem); *dómr* h. l. nuda terminatio est. Conferri meretur cum similibus vocibus *bekkráð* & *brekráð* in Gloss. Vigagl. S. a *bekkr*, scamnum, unde *bekkjast til við einn*, aliquem lacessere. Præter locum Laxdælæ, in Gloss. modo laudato allatum, conveniunt var. lect. Fimbogas. c. 29. *bekkvísi*, (bellvísi), stratagema, dolus; *brekvísi* injusta, molesta petitio, Laxd. c. 37. *er vel, at sá hafi brek, er beiðist.* Grett. c. 61. *Bekkdómr* (contentio) vel *brekdómr* (molestia) *Hèðinsrekka*, est pugna. *b) skóð*, res quæ nocet, a *skeðja* (*skaða*), nocere; h. l. absol. de telo usurpatur, cujus exemplum non memini me legere: usitatum est, telum appellari rem noxiam (*skóð*) clypeo v. galeæ. Cfr. tamen norvag. *skó*, *skót*, animalia segeti noxia, ut aves, mures, it. *skják*, *sják* (*skjaðak*) lolium, Spec. reg. p. 322. *c) skilinn*, pr. distinctus, it. certus, verus a *skil*, veritas, argumentum.

*) Ordo: *hverr maðr und sólar jaðri var hræddr við örvan hugdyggan son Tryggva; málmþings meiðar ódust a).* Ignorant hanc semistrophem C. F. S. Sk.

a) óðust, extimescebant, contr. pro *óuðust*, a verbo *óast*, metuere, ut videre est ex Eigla, ubi de Thjodolfo: *gekk sá er óaðist ekki*, qui nihil metuebat. Bis hoc verbum in Hkr. occurrit, in quo utroque loco hunc significatum, qui aptissimus videtur, non adhibuerunt interpretes, nempe OH. 92, 3, *óðunzk* (pro *óðumst*) *aptirhvarfs*, verebar (v. mi-

Rex Olavus in anteriorem navem prospiciens, animadvertit suos, gladios crebro tollere, ictus sæpius iterare; id quoque animadvertit, gladios esse male acutos; quare alta voce interrogavit: cur gladios adeo segniter libratis, quos male acutos esse videam. Respondit quidam: gladii nostri, domine! et hebetes et male fracti sunt. Tum rex ex celsa puppe descendit in interscalmium primas, arcam armamentariam aperuit, et plurimos gladios promsit fulgidos et valde acutos, suisque distribuit; cum vero dextram manum demittebat, viderunt sangvinem ex manica loricæ defluere, nemine quo loco saucius esset sciente. Strenuissima defensio, maximaque cædes facta est ab interscalmii primatis proræque propugnatoribus, ubi et selecti maxime stabant viri et latera navis erant celsissima. Cum autem cædes in Serpente edi cœpta esset, primo per mediam navem milites cecidere, vulneribus et quidem maxime lassitudine confecti; famaque ferebat, si strenui illi milites defensionem omnino potuissent adhibere, futurum fuisse, ut Serpens sero ab adversariis expugnatus esset. Qua de re sic Hallfredus:

Haud facile ab hoste devastata fuisset
longa illa navis, regem potentem
ferens, (in calidam marginem
navis delapsus est cruor),
dum clari principis satellites

---

mo præsagieham) reditum, ubi vel subjiciendum *vegna*, vel legendum *aptrhvarf*, sec. duorum Codd. lect. var. Alter locus est Hist. Hakonis Grandævi c. 117 *allar þjóðir óðust konungs reiði*, omnes populi extimescebant iram regis; nam *eiðvandr* nullo modo huc pertinet. Hodie solummodo extat verbum impers. *mik óar fyrir*, timidus futuri præsagit mihi animus.

eam defendebant gladiis;
hi virtutem exseruere fortiter
in strage pugnatorum edenda.*)

Cum circa malum navis pauci restabant superstites, ad navem scandendam se accinxit Eirikus satrapa, et quindecimus ipse Serpentem conscendere potuit; quem adversum tendens Hyrningus, progener Olavi regis, manu quadam militum comitatus, acerrimum iniit prælium; Hyrningus enim audacter admodum rem gerebat, teste Hallarsteine:

Hyrningus effecit, ut vulnera
vindictæ cupidis præliatoribus

*) Ordo: *þjóð mundit* [1]) *varliga hrjóða hit* [2]) *lánga líng und ríkum gram, (blóð kom á þýðan læsíks a) þröm* [3]), *meðan verðúng ítrs* [4]) *jöfrs varði sverðum innanborðs; sú gerðist* [5]) *vel at morði atu* [6]) *vina* [7]) *b)*. Abest in S.

[1]) *mundi* Sk. usitatius; tum *varliga*, ægre; ego, ob negationem, „facile" reddidi. [2]) *hinn* Sk. o: *hrjóðq hinn lánga læsíka líng*, longum illum infidi maris equum (i. e. navim). [3]) *þram* Sk. [4]) *ýtur* (o: ítur) Sk. o: *ítr verðúng*. [5]) *at*, inserit Sk. *sú verð. jöfrs gerðist, at varði vel sverðum at morði*, ea reperta est regia cohors, quæ &c. [6]) *átti* Sk. *meðan ítr átti vin innanborðs*, dum clarus (rex) amicum (amicos) intra navim habebat; *ata*, piratæ, eod. sens. ac in textu, B. [7]) *vin*, amicum, Sk.

a) *læsíks*, deduco a *læ*, id. q. *hlè*, latus a vento aversum, alias *hlèborð*, & *síkr*, salmonis species, vide supra Pars 1ma. p. 39, 2 (text. isl.); sic *læsíkr*, navis. Sed propter varias, easque dubias, *rs læ* et *síkr* notiones, plures dari explicandi rationes, non dubito. Sic *læsík*, n. dolosum mare, quam notionem sub var. 2 attuli. Si *læ* est id. q. *lá*, liquor; aqua, et *síkr*, ut puto, ignem significat, *læsíkr*, ignis aquæ, erit aurum, quo tum ad *ríkr* referendum. *b*) *ata*, f. accepi eodem sensu ac *at*, n. contentio, certamen (ab *eja*); *atu vinr*, amicus certaminis, pugnator; idem sensus in var. 1. B. *ata vinr* amicus reguli maritimi, vir bellicosus, vel amicus certaminum (gen. pl. *rs at*), id.

dolerent; pugnabant viri.
Is regum potentissimus est.*)

Cujus certaminis is fuit exitus, ut satrapa retro in Barbonem cedere coactus sit; comitum autem ejus occisi sunt quidam, quidam vulnerati; qua propugnatione Hyrningus magnam sibi famam peperit. Quod testatur Thordus Kolbeinis filius:

Ibi sævitum est ense livido
in galeati Odinis parietes
cruentos; regis strenuus defensor
egregiam peperit famam sibi.
Labascet altorum aula montium,
Hyrninge! priusquam id excidat memoria*)

*) Ordo: *Hyrningr lèt ben svíða heiptargjörnum brynskíða við-um* [1]) *a); ytar börðust. Hann er ríkstr konúngmanna.* Abest in S.

[1]) *urðum* Sk. aperto errore librarii.

a) poetice pro: gravia vulnera inflixit hostibus.

**) Ordo: *þar var herjat* [1]) *blám hjörvi* [2]) *við dreyrgar tóptir hjálmaðs Hröpts a); enn* [3]) *gerði grams vörm* [4]) *b) fékk gott orð. Höll* [5]) *húsa fjalla c) bilar, síðr þat* [6]) *fyrnist, Hyrningr!* Abest in S.

[1]) *herjar*, Hkr., exercitus; subaudiunt: multitudo: [2]) *hamri*, males F. o: securis malleo, pro ipsa securi; *hamra*, vitiose, Sk. [3]) *er*, qui Hkr. [4]) *vörm ok* B. defensionem et. *vör ok* Hkr. *vörn blúum* (pro *blúm*) Sk, scilicet ut syllabarum numero consulatur. [5]) *havld* Sk. prave. [6]) *þeir*, prave, Sk.

a) i. e. in clypeos. *Hroptr*, nomen Odinis, qui h. l. galeatus appellatur, cum et *Hjálmberi*, gestor galeæ dicatur, Grimnism. 46. paries, tectum Odinis, est clypeus. *b) gerðr*, prop. part. pass. v. *gera*, factus, perfectus, h. l. adjectivum, ut *gerr*, paratus, promtus, strenuus. *vörr*, nullem *vörr*, defensor, a *verja*, id. q. *varðr* a *varðu*; aliæ formæ sunt *varr*, *vœrr*, *vœrr*, id., c) i. e. cœlum, quod lacunaris instar super montibus arcuatur. Si mecum in eo consentias, quod duo primi versus hujus strophæ desiderentur, voces *blám hjörvi* ad posteriorem semistrophan lubens retulerim, hoc ordine: *fékk gott orð* (o: með) *blám hjörvi.*

Cum vero Eirikus satrapa in navem suam recesserat, rex Olavus: quid, inquit, satrapamne nunc ex Serpente repulistis? Dicunt ita factum. Factum viriliter, ait rex, id quod exspectari potuit; nam satrapa nos non vincet, dum Thorem habebit in prora navis suæ. Hoc multi, et ipse quoque Eirikus satrapa, audivere. Cum autem magna militum pars in Barbone occubuisset, et plerique, qui superstites erant, graviter essent saucii, Eirikus satrapa, ut et universæ Danorum et Svionum copiæ, ad terram appellebant; hic ductores exercituum consilia conferebant, quo pacto res expediretur. Tum Eirikus satrapa: hæc perpetua ignominia est, quæ fama celebrabitur, dum terræ septemtrionales ab inhabitatoribus incolentur, si Olavus Tryggvii filius a nobis non fuerit devictus, qui tantas habeamus copiarum reliquias, ut hostes nullo modo effugere possint, ille vero unam tantum navem, eamque multo milite nudatam; agite ergo, rex Danorum et rex Svionum! auxilium mihi adjunctis copiis ferte, ut ulcisci queam patrem meum, et hanc contumeliam a nobis omnibus avertere; accidet enim nobis principibus, ut ante dixi, ut universi in vituperationem hominum casuri simus, maximeque ii, qui potentissimi sunt, si nunc evadet cum copiis suis rex Olavus. Cum vero Eirikus satrapa finem dicendi fecerat, oratio ejus multorum assensu comprobata est; deliberata re, convenit inter reges & satrapam, ut auxilium copiarum Eiriko satrapæ traderent, quibus Serpentem aggrederetur, idem Serpentem longum omnemque prædam, cujus ibi fieret copia, possideret, si regem Olavum debellare posset, quisquis autem illorum triente Norvegiæ potiretur. Quæ res cum pacto et

stipulatione confirmata esset, omnis Danorum et Svionum exercitus se denuo ad prælium parat, militibus animos confirmantibus, se mutuo hortantibus, dicentibus, nunquam quieturos sese, priusquam regem Olavum Tryggvii filium devicissent.

Cap. 253. Eirikus satrapa deinde cadavera et saucios homines ex Barbone exponit, et in locum eorum integros et recentes substituit, quos ex Svionibus et Danis delegerat. Sunt quoque qui dicant, satrapam tum pollicitum, si Serpentem vincere posset, se baptismum susceperum, ejusque rei signo fuisse, eum Thoris simulacrum abjecisse, et in locum ejus sacræ crucis imaginem in prora Barbonis constituisse. Cum vero satrapa copias paravisset et instruxisset, virum quendam sapientem et magnæ auctoritatis, qui ibi tum aderat, Thorkelem Altum, fratrem Sigvaldii satrapæ, allocutus: sæpe præliis interfui, ait Eirikus satrapa, neque prius unquam viros æque fortes et pugnandi adeo peritos offendi, atque eos, qui in Serpente sunt, neque navem vidi tam difficilem expugnatu quam Serpentem. Jam vero, quandoquidem omnium hominum prudentissimus es, in medium consilia quæ optima nosti profer, qua ratione expugnari serpens possit. Thorkell respondit: hujus rei quid integri proferam consilii, non habeo; verum est, ut dicam, quod maxime profuturum sperem: ingentes trabes capito, easque e navi tua in serpentem demittito, ut in latus inclinet, quo facto facilior erit ascensus in serpentem, si latera ejus non altius existant, quam cæterarum navium. Quod consilium si non proderit, aliud in promtu non habeo. Tum satrapa, ut præceperat Thorkell, rationem pugnæ instituit.

Apparatus regis Olavi et militum ejus.

Cap. 254. Dum hæc consilia agebantur et pugna quiescebat, milites Olavi regis eum rogabant, ut aliquo pacto fuga salutem quæreret, dicentes, quod res erat, se in ejus persona maxime periclitari, spem enim esse, ubi inimici eum aufugisse cognovissent, omnes milites suos vitam impetraturos; si aliam rationem mallet, rem prospere cessuram, sublatis velis serpentem in altum dirigere et septemtrionem versus ceteram classem insequi. Rex vero, ut antea, respondebat, se non hostes fugiturum, dum navi incolumi veheretur; minime enim convenire, „nam nondum certum esse opinor, an Serpentem expugnare possint hostes, dum tot fortes viri ad defensionem præsto sunt." Quæ cum inter se colloquebantur, celox illa Vendica, eadem cujus vectores ante prælium in colloquium Olavi regis venerant, ut ante dictum est, remis ad Serpentem allapsa est; hi viri, qui celoce vehebantur, nave ad celsam puppim Serpentis alligata, regi Olavo polliciti sunt, se conscenso Serpente pro eo pugnaturos, libenter cum rege mortem oppetituros, aut, si fortuna tulerit, cum eo evasuros. Rex respondet: nihil ad rem meam facit, inquit, si Serpentem conscenditis, pro nobis pugnaturi; id autem forsitan e re mea fuerit, si quo loco hodie fuistis, ibi navem vestram contineatis. Quo dicto, navem retro egerunt, eamque in ancoris tenuerunt.

Eirikus satrapa Serpentem longum secundo oppugnat.

Cap. 255. Eirikus satrapa, cum se paraverat, altera vice ad Serpentem applicuit, et universus Danorum et Svionum exercitus pugnam cum Olavo rege redintegravit, Svioni-

bus*) proras Serpenti advertentibus, ceteris fere omnibus intra teli jactum constitutis, Nordmannosque usquequaque telis petentibus. Satrapa latus Barbonis lateri Serpentis applicuit, acremque in hostes impetum fecit, copiis stipatus, quæ tum recentes Barbonem conscenderant, et ipse quidem ac sui quotquot superstites erant, in pugna sibi minime pepercerunt Sic de hac re Haldor:

> Testificor, commotos milites
> Satrapæ non pepercisse sibi in pugna:
> (princeps, oppugnando bellicosum
> heroa, terra sinuosa potitus est),
> cum, bellicose! Barbonem lateri
> longi Serpentis applicuisti,
> in templo æquoreæ gaviæ; non fuit
> æquoreus vacuus caballus.**)

Rex Olavus et sui summa fortitudine et strenuitate se tutabantur, quare cædes in Serpente

*) nonnullis, B. F.

**) Ordo: *Hykkat ek vægð a) dróttjarls* [1]) *sparði* [2]) *sik at vígi; (jöfur b) vann* [3]) *sóttan ógnharðan, komst at fjörðjörðu) c); þá er fólkharðr færðot* [4]) *Barða á mið* [5]) *fjarðmyvils* [6]) *d) við orminn langa; lítt var sævar sóti* [7]) *svángr e).* Abest in S. [1]) *jarl*, Satrapa, Sk. *jarl vann sóttan ógnh. jöfur*, satrapes oppugnavit bellicosum regem; quod præfero. [2]) *sparðu* Sk. perf. infin. id. q. *spörðu*, proba lectio; forte *sparði-t*, non pepercit. [3]) *varm*, calida, corrupte Sk. [4]) *forðot* A, cui *e* addidi (*færðoi*); *fórut*, eod. sensu Sk. [5]) *á tröð*, in viam tritam, F.; *atroð*, vitiose Sk.; *at við* B., quod forte pro *á vit*. [6]) *fjarrmynils* B. corrupte, ut videtur. [7]) sic B. Sk.; *soita* obscure A.

a) *vægðr* accipio in eodem significatu ac *uppvægðr*, ira commotus, a *vega* ferre, movere, librare, unde *vægr*, mobilis, Spec. reg. pag. 643. Si probas lect. *jarl* & conjecturam *sparðit*, commodus sensus existit: *Hykkat ek vægð*

parum increbuit [1]), dum indefessi erant, multosque hostium interfecerunt, tam in Barbone, quam in aliis navibus, quæ Serpenti se applicuerant. Cum vero Eirikus satrapa majorem in oppugnando difficultatem experiretur, trabes ingentes in Barbone tolli et in Serpentem longum demitti jussit; et vulgo negant, futurum unquam fuisse, ut Serpens expugnaretur, nisi hac adhibita ratione, quam consilio suo Thorkell altus instituerat. Cujus meminit Hallarsteinn:

Severus incitator prælii
jussit auri accumulatores
in Serpentem longum valida

---

at vígi; drótt sparðit sik; járl vann sóttan &c.: v. var. lect. 1. i. e. Non puto leniter in pugna rem gestam esse; milites sibi non pepercerunt &c. *b*) *jöfur*, de Satrapa intellexi, secundum Edd. Snorr. pag. 189. §. 64 initio. *c*) *fjörð-jörð*, pro *fjarðar* v. *fjarða-jörð*, terra sinuosa, i. e. Norvegia; ut *fjörð-hjörð* pro *fjarðar-hjörð*, grex maris, haleces. Hkr. 5, 18, 2. Est quoque, ut jungas *fjörð drótt*, manus hostilis, vide supra pag. 50. *d*) *mývill*, quid proprie significet, mihi non adeo liquidum est; cum vero videam formam *mór* (id. q. *már*, mergus), in Njála (sub voce *móstallr*) comparari cum Angl. *mew* (mjú) & Belg. *meuwe*, accepi hanc vocem pro forma diminutiva ꝛs *mór*, nam *mjúvill* in *mývill* necessario abit; itaque *fjarð-mývill*, mergulus ponti est navis, hujus *mið* (certus locus), mare. *e*) potest hoc ita intelligi: navis Erici tam viris propugnatoribus, quam a rebus ad pugnam idoneis bene instructa fuit. Ceterum cum *svángr* proprie esurientem designet, opinor per *sævar sóti* lupum intelligi. Verte adeo, lupus non esuriebat, i. e. magna strages edita est; *sævar* h. l. itaque vel est gen. ꝛs *sær* id. q. *ægir*, quod inter gigantes recenset Edda Snorr., vel gen. syncopatus pro *sævarar* (ut *þessar*, pro *þessarar*, lat. virum pro virorum), a *sævör*, id. q. *sævör*, gigantis; ejus *sóti*, equus gigantis v. gigantidis, lupus.

[1]) nihil profecit, B.

demittere ligna, exardescente prælio.
Quod ni fecisset, nobilis Ericus
in strepitu hastarum nunquam
devincere potuisset robustum
Olavum, sub via solis.*)

Sic ingentibus trabibus in alterum latus dejectis, Serpens admodum cœpit inclinari. Tum cædes utrinque recrudescere. Cum vero propugnatorum numerus in Serpente rarior factus esset, Eirikus satrapa ascensionem tentat, adversariis fortissime resistentibus. Cum autem proretæ Olavi regis viderent, satrapam Serpen-

*) Ordo: *Strángr rógsvellir* [1]) *a) baðr* [2]) *ránsíks* [3]) *stœri* [4]) — *aska* [5]) *b) fella remmi* [6]) — *lauka c) á orminn lánga; styrr þreifsk* [7]) *d). Ættstór Eiríkr mátti ella aldri vinna öflinn* [8]) *e) Olaf í dyn geira, und veg sólar.* Abest in S.

[1]) *rökspellir*, occisor, F. Sk. [2]) *vaðr* B. corr. [3]) *ranns ríki*, Sk.; *rans harri* B. utrumque contra metrum. [4]) *stœrri*, in majore (periculo), Sk. [5]) *háska*, periculo, Sk. [6]) *reyni*, sorborum, Sk.; *reins* B. [7]) *styrks með*, pro *styrr þreifsk*, Sk. [8]) *olinn* B.; *ítran*, illustrem, F. Sk.

a) i. e. Satrapa Ericus. *b)* i. e. viros; *ránsíkr* accipio pro auro, a *Rán*, mare & *síkr*, quod ignem significare puto, de quo vide supra Vol. 1, p. 39 (Text. isl.); *stœri-askr*, qui magnum facit, auget, id. q. *stœrandi*. *c) remmi-laukr*, lignum validum, firmum; eadem notio & forma compositi est in *remmi-skíð*, firma xylosolea, Hak. Grandævi, c. 260, 1. *remmiskóð borða*, validi enses, Eyrb. 19, 6. *d) þrífast*, adolescere, incrementa capere; h. l. de ardescente pugna, ut sæpius Hkr. 3, 17, 2: 7, 224. *e)* Vox *öflinn* esse potest robustus, ab *afl*, robur. Primo vero me offendit, quod sequens versus intercalaris per se non integer maneat, si, posito *Olaf* pro Olafr, arcte cum præced. verss. jungatur, neque voces *und veg sólar* habeant, quo commode referantur. Deinde, quod syllaba metrica prior, consonantiæ efficax, cadat in nudam terminationem *inn*, quod rarissimum puto. Quam ob rem legendum puto *of-linn* i. e. Serpentem (navem Olavi), et in seqv. versu *Olafr*, ut alibi semper.

tem conscendisse, in posteriorem navem tendentes, atque ad navem contra eum tuendam versi, acerrime reluctabantur. Verumtamen cum tanta facta esset in Serpente strages, ut passim nuda essent latera, satrapæ milites in navem undique irrumpere cœperunt; quare tota, quæ præsidio supererat militum manus, retro in navem ad regem se recepit. Testatur Haldor non-christianus, Eirikum satrapam tum suos ad prælium incitasse:

Lætus animo princeps
suos milites bellicosos
hortatus est; (cessere retro
viri per transtra cum Olavo) —
cum pelagi alitem navibus
cinxissent circa regem fortem
Hadlandiæ; Vendorum occisor
late loca vacuefecit cædibus.*)

Dicitur Thorsteinn Bovipes, in interscalmio primate juxta celsam puppim constitutus, cum milites satrapæ quam vehementissime se in serpentem ingererent, Regi Olavo dixisse: do-

*) Ordo: *Hugreifr þengill hèt á sína heiptar-nýta drengi; þjóð stökk aptr um* [1]) *þóptr með Oleifi. Þá er höfðu lokit hafvita a) skeiðum um snjallan Hallands b) gram; váþneiðr* [2]) *c) varð fúr Vinda myrðir.* Abest hæc stropha in S. Sk., ceteri cum A per omnia concordant.

[1]) *á*, in Hkr. 6, 128, 2. [2]) *váþnreiðr*, tonitru armorum, var. l. Hkr.

a) i. e. navem. *viti*, oorvus, a sagacitate. *b*) *Halland*, pro *Haðaland*, id. q. *Haðaland*, provincia Norvegiæ; intelligitur Olavus, rex Norvegiæ. *c*) *váþneiðr*, malleus *váþneyðr*, locus armis patefactus, defensoribus nudatus, ut *eyðr*, f. sit id. q. *eyða*, vacuus locus. Huic locutioni proxime accedere videtur altera, *at gera fletroð*, Jomensium hist. p. 39., locum, quo constitutus es, vacuefacere, hostes sternendo viam aperire, a *flet* & *ryðja*. *Vinda myrðir*, Ericus Satrapes, ob prælia cum Vendis commissa, appellatur.

mine! inquit, nuncne pro se quisque rem geret? Quidni nunc? ait rex. Tum Thorsteinn unum ex satrapæ militibus, qui juxta illum in navem insiliit, pugno cecidit, tantaque vi malam ejus percussit, ut homo ex navi longe in mare excussus confestim periret. Quo facto Thorsteinem tanta incessit rabies, ut arreptam veli perticam pro telo uteretur. Quod videns rex Olavus, Thorsteini loquitur: cape arma tua, vir! iisque utere; sunt enim arma, quibus in prælio res geratur, neque solis manibus aut trabibus dimicandum. Quare Thorsteinn, sumto gladio suo, fortiter pugnabat. Jam tum aliquamdiu vehementissima exarsit pugna in interscalmio primate; rex Olavus tela pennata et hastas crebro et magna vi ex celsa puppi emisit. Quam in rem ita Hallarsteinn:

Rex bellicosus acriter torquebat
tela, stans celsa in puppi; loricæ
dissiluere; deinceps aperte longus
Draco militibus nudabatur.*)

Rex Olavus, cum videret Eirikum satrapam ad interscalmium Serpentis primas penetrasse, tria gæsa brevi manubrio in illum torsit, quæ quidem non pro more ferebantur; nam non solitus erat rex Olavus frustra jaculari, quocunque tela emitteret; nullum vero horum gæsorum satrapam tetigit, quorum primum dextrum ejus latus, secundum itidem sinistrum prætervolavit, tertium supra caput satrapæ proram versus. Tum rex: sic nunquam prius in homine frustratus sum; magna est hujus satrapæ fortuna; vult deus, eum Norvegiæ regno hac

*) Ordo: *Sóknstrángr hildíngr skaut hvast or lyptíngu; klífar brustu; síðan nam* [1]) *drekinn* [2]) *lángi sýnt* [3]) *eyðast.* Abest in S. [1]) *man*, nudabitur, B. Sk. [2]) *ormrinn*, Serpens, B. C. [3]) *seint*, sero, *sínt* Sk.

vice potiri, quod quoque minime mirum, cum proretas in Barbone commutaverit; exit res, ut hodie prædixi, eum non superiorem discessurum, si Thorem in prora habuisset. Ob eam vero causam, quod multi ex copiis satrapæ serpentem, quantum capere potuit, conscenderant, parva autem adesset manus, quæ tantæ multitudini resisteret *), brevi temporis spatio multi occidere Olavi regis athletæ, quamvis robusti atque fortes; ceciderunt ambo fratres, progeneri regis, Hyrningus et Thorgerr, Vikar ex Tiundalandia et Ulfus Rufus **), multique alii strenui viri, egregiam sui memoriam relinquentes. Kolbjörn, orator regius, proram cum aliis anterioris navis defensoribus tutatus fuerat; is consimili armorum et vestium apparatu indutus erat, atque Olavus rex; et eam quidem ob causam, quod cogitabat, si opus foret, ut nunc res erat, opem aliquam Olavo regi ferre. Cum autem strenuissima regis Olavi manus in primate interscalmio cadere cœpisset, Kolbjörn celsam puppim ad regem ascendit; qui cum omnium hominum esset statura maximus et aspectu pulcherrimus, haud cito discerni invicem potuere. Tum tanta telorum multitudo in celsam puppim ingerebatur, ut clypeus Olavi regis, nec non Kolbjörnis, telis inhærentibus velut cirratus esset. Cum vero sui ad celsam puppim tenderent, tam splendida lux regem supervenire visa est, ut contra adspicere nequirent, decedente vero luce, rex Olavus nuspiam apparuit.

*) *en lítit — her, þá*] absunt in B. **) Endridius Plautus, Thorsteinn albus, Thorsteinn Skelkus (meticulosus), Ivar Ljomius (splendor), add. F.

THE NEW YORK PUBLIC LIBRARY
REFERENCE DEPARTMENT

This book is under no circumstances to be taken from the Building

Form 410